




DISSERTATIO THEOLOGICO SCHOLASTICA

De necessitate alicuius saltem imperfecti amoris Dei propter se dilecti ad impetrandam gratiam in Sacramentis mortuorum.

DICATA

EM.mo ET REV.mo PRINCIPI

VINCENTIO

S. R. E. CARDINALI GRIMANO.

AVTHORE

FRANCISCO MARIA CAMPIONO

Congregationis Matris Dei Theologo Apostolico in Vrbe Cleri Examinatore &c.

ROMÆ, Typis Hæredum Corbelletti 1698.

Superiorum permissu.

Prostat apud Iosephum San-Germanum Corno.



EM.ME ET REV.ME PRINCEPS.

IN Librorum editione (quorum tu, Cardinalis Amplissime, ingens fuisti, erisque semper argumentum) ambient complures te Mæcenatem. Trahet hos gloria tuæ Gentis, quę clara infinitis Heroibus, & Romæ, & Venetijs, vrbe, famà grandium facinorum æmulà Romæ, iam à sæculis purpurascit, in prophano illic, & ciuili; in sacro hìc & Ecclesiastico Principatu. In tuæ clientelæ sinũ alij volabunt illecti fulgo-

re, non quem à tuis maio-
ribus traxisti, sed quem
tuà virtute, tuis maioribus
reddidisti, in te vno colle-
cta tenens, quæ maiores
tuos, diuisa, beatos efficie-
bant. Et quem sanè non
illiciat, animi celsitudo, in-
genij dexteritas, propè re-
gia comitas, prudentia sin-
gularis, mens facilis ad
grandia quæque, totus ho-
mo compositus ad imagi-
nem Magnanimi, Herois-
que, quem nobis expressit
Philosophorum Princeps
differens de virtutibus. Hęc
tamen, quę singula impel-
lent cæteros, nec minimum
me

me excitant. Tuo ſub nomine, & numine profero meam hanc qualemcunque diſſertationem, vnicè ad actus diſſertationis argumento.

Amorem Dei in illà firmatum, vbi in lucem prodit, ſub ſuà clientelà ſuſcipere debeat, quem Innocentia pietatis amica deſponſauerit Eccleſiæ, ad vmbram profundæ pacis. Fouet Mæcenas deſponſatus Eccleſię: hæc enim vna eſt Cuſtos diuinorum munerum, inter quæ, velut inter ignes luna minores, præeſt amor Dei. Pronu-

nocentia Pontificia Ecclesiæ genuit, Cęſarea pietas ſuſcepit, & veluti leuauit. In tui aſſumptione, domus quam Sapientia ſibi ædificauerat in terris, vterque iunctus eſt angulus, Pontifex Romanus, & Imperator Romanorum. Vterque iunctus eſt, quia deſignatus tu Cardinalis, INNOCENTII electione, LEOPOLDI præſentatione; & quidem toto dum orbe Chriſtiano ſupremum ſilentiũ tenerent omnia, omnibus ad pacem conſpirantibus, omnibus pacẽ conclamantibus, omnibuſque tandem in ſempi-

pi-

piterna pacis fędera coeuntibus.

Hac ſub altà pacis vmbrà proueheris in Principē Vrbis, & Orbis; ſed in ſacrum Principem. Eò differunt Principatus ſacer, & politicus, quod huic timorem, illi debeamus amorem. A Petro iam iam ouibus pręponendo Chriſtus expreſſit pignus amoris, quo cenſum ab ouibus amoris exigeret, cum ſe viciſſim reſpiciant Paſtor, & Ouis, Princeps, & Subditus. Tuum igitur eſt diſſertationis argumentum, quin & te dignum, quia in ſe

non tenue, tenuiter estò tractatum. Equidem verso amorem imperfectum Dei propter se dilecti, quia paruulus, loquor vt paruulus, sapio vt paruulus, cogito vt paruulus. Attamen & versarem imperfectum, si essem perfectus Catholicæ Veritatis Doctor. Hic enim, vt ait S. Thomas in prefatione suæ summæ, *non solum prouectos debet instruere, secundum illud Apostoli 1. Cor. 3.* Tanquam paruulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam, *ideò meæ intentionis fuit,* quæ ad debitam materiam

in

in ſacramentis mortuorũ ponendam pertinent', *eo modo tradere, ſecundũ quod congruit ad eruditionem incipientium*, qui, vt à morre reuocentur ad vitam, initiali aliquo Dei amore, prout quidem ego crediderim, diſponendi ſunt. Tu qui perfectum Dei in te amorem cuſtodis, eodem, quo pleni Deo, minimos quoſque reſpiciunt, vultu benignitatis reſpice, & opus, & operis Authorem.

E. T. Reu.[mæ]

Humill. Deuinct. & Obſeq. Famulum.
Franciſcum Mariam Campionum
Congreg. Matris Dei.

Laurentius Parensi Rector Generalis Congregationis Clericorum Regularium Matris Dei

OPus inscriptum Dissertatio scholastica de Necessitate aliqualis saltē imperfecti Amoris Dei propter se dilecti &c. à P. Francisco Maria Gampiono Nostrę Congregationis Theologo, elaboratum, cum ex censura duorum ex Nostris Theologis, quibus illud commisimus videndum, nihil contineat contrarium bonis morib; & Fidei Catholicæ, typis euulgari, quantùm ad Nos spectat, seruatis seruandis facultatem concedimus, In Quorum fidem &c. Datum Romæ ex Nostris Ædib. S. Mariæ in Perticu in Campitello hac die 25. Aprilis 1698.

Laurentius Parensi Rector Geueralis.

IVssu Reuerendiss. P. Paulini Bernardini Sac. Apost. Pal. Magistri legi dissertationem scholasticam de necesitate amoris Dei &c. Authore Patre Francisco Maria Campiono Congreg. Matris Dei Theologo. Quod opus gratum vtiieque fore Theologis arbitror: cum plurima ex D. Thomà alijsque Thologis antiquis testimonia collecta reperturi sint. Et cum opinionē, quę plurinmm fauet pietati, Author defindendam susceperit maiorem opus mereri laudem existimo, magisque probandum fore. Inquo presertim nihil rectę fidei aduersum, nihil bonis moribus dissonum reperire sit. Ita sentio. Romæ in Conuentu S. Mariæ super Mineruam die 12. Decemb. 1696.

F. Antoninus Massouliè Inquisitor Tolosanus, ac socius Reuerendiss. P. Generalis Ord. F. Predicatorum.

Præ-

Præfatio.

I. Celeberrima est inter nostri temporis Theologos quæstio hęc de necessitate amoris Dei propter se dilecti ad impetrandam gratiam in sacramentis mortuorum; & Theologi, quos Positiuos dicunt, vnanimitèr conspirarunt in asserendâ hac necessitate; Scholastici non omnes ex professo controuersiæ huic dirimendæ incubuerunt, cum tamen, si in quacunque aliâ, maximè in hac, ex scholis peti debeant solutiones rationum pro sententiâ negante necessitatem; hæc enim tempore Alexandri Septimi, vt apparebit ex eius decreto inferiùs apponendo, videbatur communior inter Scholasticos; quare argumentis ex eorum fonte petitis, veniunt suadendi, præsertim, quando, ijs propositis, apparebit non omnem dilectionem Dei propter se excludi, sed fortè perfe-

ctum

ctum illum amorem, qui de se habeat vim iustificandi etiam extrà sacraméta, hunc autē nunc in Ecclesiâ Dei non est, qui dicat exigi ante absolutionē, quidquid sit de aliquibus antiquis Scholasticis, qui cū Magistro senserunt sacramentum pænitentiæ non posse in culpam, sed tantum in pęnam, adeòque vi vnius contritionis remitti peccatum; quam sententiam si non primus, ex primis saltem explosit Angelicus Doctor S. Thomas eo fælici successu, vt Tridentina Synodus sess. 14. can. 3. dixerit anathema negantibus in Ecclesiâ potestatem remittendi peccata. Cum ergo certum sit ad Sacramenta mortuorum non exigi amorem perfectum, difficultas in eo consistit, an requiratur aliqualis amor Dei propter se dilecti, sed imperfectus, non habens se solo iustificare, sed vt coniungitur sacramento; & huius necessitatem videntur negasse Moderni

ni Scholaſtici complures, volentes ſolo timore pænarum, cum ſpe veniæ, peccatorem ſufficienter diſpoſitum accedere ad prædicta ſacramenta, pro impetrandâ gratiâ iuſtificationis. Qui cum debeat habere ſpem, præſupponitur habere deſiderium remiſſionis peccatorum, ſeù iuſtificationis; quod deſiderium, ſi importat aliquem amorem Dei propter ſe dilecti, iam erit euidens nullo modo iuſtificationem dari ſine aliquali amore prædicto. An verò importet, videbimus in decurſu diſſertationis. Ceterum, hoc omiſſo, cum viderem theſim illam negantem neceſſitatem amoris à Scholaſticis compluribus, amplexatam, ſubijt animus inueſtigandi, num Modernis concordarent antiqui, præſertim Scholaſticæ Principes, Albertus Magnus, Alexander Alenſis, S. Thomas, S. Bonauentura, & Ioannes Duns Scotus;

quid-

quidquid ex illis hausi, circà hanc materiam, erit pars magna meæ dissertationis. In eà, quo, vt præcepit Alexander Septimus, longior sim ab omni censurà in sententiam oppositam, subijcio hìc eiusdem Pontificis decretum, quod est huiusmodi.



De-

Decretum SS. D. N. Alexandri Septimi ſuper controuerſià

De neceſſitate Amoris Dei in Sacramento Pænitentiæ.

II. SAnctiſs. D. N. Alexander Papa Septimus cum acceperit, non ſine graui animi mærore, Scholaſticos quoſdam acrius, nec abſque fidelium ſcandalo, inter ſe contendere, an illa attritio, quę concipitur ex metu gehennæ, excludens voluntatem peccandi, cum ſpe veniæ, ad impetrandam gratiam in Sacramento Pænitentię, requirat inſupèr aliquem actum dilectionis Dei, aſſerentibus quibuſdam, negantibus alijs, & inuicem aduerſam ſententiam cenſurantibus, Sanctitas Sua enixè cupiens pacis vinculum inter fideles ſeruari, omnemque ſciſſurę fomitem ex-

tin.


INDEX CAPITVM:

Cap.

Imprimatur.

Si videbitur Reuerendissimo P. Mag. Sac. Palatij Apost.

Sperellus Episc. Interamnen. Vicesg.



Imprimatur.

Fr. Gregorius Sellari Sac. Theolog. Mag. ac Reuerendiss. P. Fr. Paulini Bernardinij Sac. Pal. Apost. Mag. Soc. Ord. Pręd.

CAPVT I.

Afferuntur rationes, quibus ex scriptura videtur elici, quod timor sine vllo Dei amore propter se dilecti non possit esse vltima dispositio ad impetrandam gratiam in sacramentis mortuorum.

IV. X Scriptura non habemus in particulari explicatum quæ debeat esse vltima dispositio ad impetrandam iustificationem per Sacramenta, nihilominus ex ea videtur elici, quod timor nō sit vltima dispositio: dicitur enim 1. Io: 4. *Timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem: quoniam timor pœnam habet: qui autem timet, non est perfectus in charitate:* Diuersas explicationes patitur iste textus Apostoli; inter quas, vt apparet ex Lyra-

rano, & Ioanne de l'Haye etiam illa recipitur, quod Apostolus loquatur de charitate, vt dicit suam perfectionem essentialem, sine qua non est charitas. Vnde Augustinus in Glossa, ait; *Timor seruat charitati locum, quâ veniente, vt illa insideat, abscedit*; & tr. 9. in ep. Ioannis, ad prædicta Apostoli verba: *Ioannes dicit de timore, quo anima timet, ne damnetur*; & paulò ante: *Timor, quo times, ne in æternum ignem mittaris, nondum est castus*; & Bernardus serm. 58. in Cant. num. 11. *Scitis quam hyemem? Timorem illum, qui non est in charitate, qui cum omnes initiet ad sapientiam, neminem consummat, quoniam superueniens charitas extundit illum, tanquam hyemem æstas*. In quibus verbis duo dicit Doctor Mellifluus, quæ possent alicui videri contraria, sed verè non sunt, imò sibi maximè cohærent: dicit adueniente charitate discedere, seù extundi timorem

ser-

ſeruilem , & dicit hunc timorem ſeruilem initiare ſapientiam , quare videtur debere eſſe cum ſapientia, quia omne initiū, ſeù fundamentū domus ſtat cū ipſa domo, ſed ex S. Thom. 2. 2. q. 19. a. 7. *timor ſeruilis eſt ſicut principiū extrà diſponens animā ad ſapientiā, in quantū aliquis timore pœnæ diſcedit à peccato, & habilitatur per hoc ad ſapientiæ effectum iuxtà illud Eccleſ. 1.* Timor *Domini expellit peccatum*; quare ſicut amotio terræ dicitur initium fabricæ quia eſt primus effectus, vndè incipit Architectus fabricam , impotens eſſe ſimùl cum ipſa fabrica, ita timor ſeruilis, eſt primus effectus, vnde incipit operari ſapientia, impotens tamen coæxiſtere ſapientiæ.

V. Admiſſa autem huiuſmodi explicatione Apoſtolici textus, quam nemo reijcit, licet etiam alias admittat, apparet timorem ſeruilem non poſſe eſſe vltimam diſpoſitionem ad charitatem, ſeù

gratiam iustificantem. Vltima enim dispositio ad formam est simul tempore cum forma, & in schola Thomistica, procedit in genere causæ efficientis ab ipsa forma, cum sit per Thomistas dare mutuam causalitatem inter formam, & vltimam dispositionem ad formã, adeò quod hæc præcedat illam in genere causæ materialis, & illa istam in genere causæ efficientis.

VI. Quia tamen ex S. Thoma 2. 2. q. 19. a. 4. timor seruilis duo dicit, & timorem, & seruilitatem, ipse inde a. 6. explicat, quid ex ijs duobus repugnat charitati, docens, quod *timor seruilis ex amore sui causatur, quia est timor pœnæ, qui est determinatum proprij boni. Vnde hoc modo timor pœnæ potest stare cum charitate, sicut & amor sui; eiusdem enim rationis est, quod homo cupiat bonum sui, & quod timeat eo priuari. Amor autem sui tripliciter potest se ha-*

habere ad charitatem. Vno enim modo contrariatur charitati, secundum quod aliquis in amore proprij boni finem constituit. Alio modo in charitate includitur, secundum quod homo se propter Deum, & in Deo diligit. Tertiò modo à charitate distinguitur, sed non contrariatur charitati, cum quis diligit se ipsum secundum rationem proprij boni, ita tamen, quod in proprio bono non constituat finem: sic ergo & timor pœnæ vno modo includitur in charitate; nam separari à Deo est quædam pœna, quam charitas refugit, & pertinet ad timorē castum. Alio modo contrariatur charitati, secundū quod aliquis refugit pœnā sicut principale malum contrarium bono, quod diligitur, vt finis, & sic timor pœnæ non est cum charitate. Alio modo timor pœnæ distinguitur secundum substantiam à timore casto, quia homo timet malum pœnæ ratione separationis à Deo, sed in quantum est nocivum proprij boni, nec tamen in

illo bono constituitur finis, vnde nec illud malum formidatur, tanquam principale. Et talis timor pænę potest esse cum charitate, sed iste timor pænæ non dicitur seruilis, nisi quando pæna formidatur tanquam principale malum. Et ideò timor in quantum seruilis non manet cũ charitate, sed substãtia timoris seruilis potest manere cũ charitate, sicut amor serui manere potest cũ charitate.

VII. In qua Angelici doctrina tria veniunt consideranda: primò quod vult de timore pænæ discurrendum esse eodem modo, ac de amore sui; quare sicut amor sui non est vltima dispositio ad iustificationem, nec potest esse, etiamsi accedat sacramentum, ita neque timor pænę poterit in sacramento esse vltima dispositio ad gratiam. Secundò quod S. Thomas vult tertium genus timoris, seù timorem pænæ quoad substantiam posse manere cum charitate, & sic ponit hunc timo-

rem

rem de ſe indifferentem, vt maneat, vel non maneat cum charitate; vnde arguitur non vltimo diſponere ad iuſtificationem; vt enim ex eodem Angelico dicam num. 11. vltima diſpoſitio ad formam eſt neceſſitas ad formam; quod autem neceſſariò infert formam, non contingenter, & indifferenter infert. Tertiò quod vult timorem dici ſeruilem, quandò reſpicit pænam vt principale malum, in quo caſu nullatenùs timor poteſt eſſe cum charitate iuxtà Apoſtoli dictum; quod ſi homo vt habeat timorem potentem ſtare cum charitate, non reſpicit pęnam tanquam principale malum, aſſignandum eſt aliud malum; quod homo principaliter reſpicit, ad hoc, vt iudicetur, an timor pænæ coniungi poſſit charitati; videtur autem non poſſe aſſignari aliud malum, quod tanquam principale fugiat, niſi ſeparationē à Deo, quam conſiderans

homo futuram causam suę pænæ, vt hanc fugiat, excitatur ad illam fugiendam , & eligit per liberum suę voluntatis actum se subijcere Dei gratię, adeò vt iste actus se subijciendi Deo sit vltima dispositio ad recipiendam gratiam.

VIII. Porrò ad ostendendum quod timor sine vllo Dei amore propter se dilecti nō sit vltima dispositio pro iustificatione facit alia Scriptura, quæ dicit Ro. 8. *Non enim accepistis spiritū seruitutis iterū in timore, sed accepistis spiritū adoptionis filiorū*, & 2. ad Tim. 1. *Non dedit nobis Deus spiritū timoris, sed virtutis, & dilectionis, & sobrietatis*. Ex quibus eliciunt aliqui Doctores, & Sancti Patres, quod timor non est dispositio sufficiens ad introducendum in lege Euangelica spiritum adoptionis filiorum Dei. Audiatur Augustinus in serm. 13. de verb. Do. c. 13. *Qui ideò benè agit, quia pænam timet, & Deum non amat, nondum est in-*

ter

ter filios. Quæ verba sibi adoptauit Venerabilis Beda in dictum locum epistolæ ad Ro. Idem Augustinus 1. de natura, & gratia c.57. *Sub lege est, qui timore supplicij, quod lex minatur, non amore iustitiæ senserit abstinere à peccato. Sub lege, quæ timorem incutit, non tribuit charitatem*. Et serm.18. de verb. Dom. c.8. *Timor, quo gehennam times, & ideò mala non facis continet te: est enim quidam custos timor quasi pædagogus legis: littera est minans, nondum gratia iuuans*. Totusque adeò pro insufficientia timoris ad Iustificandum videtur mihi esse Augustinus, vt existimem superfluum eius plura loca adducere. Consonat Prosper in lib. sententiarum sent. 117. *Eam Deus innocentiam petit qua homo non metu pænæ fit innocens, sed amore iustitiæ*. Et S.Thomas sect. 3. in c. 8. ad Ro. *Timor pænæ est à Deo, & laudabilis, quantum ad hoc, quod Deum*

timet; & si quis per huiusmodi timorem bonum faciat, non benè facit & ideo dicitur timor seruilis. Tertius timor refugit peccata, vel separationem à Deo, & cum hoc habet oculum ad pænam. Iste dicitur initialis, quia solet esse in hominibus in initio conuersionis*. Vide, quod timor existens in homine in initio conuersionis debet esse initialis refugiens quidem pænam, sed & simul separationem à Deo.

IX. Sed & clarius Glossa ad prædictum Scripturæ locum. *Quatuor*, inquit, *præter naturalem, sunt timores mundanus, qui malus est: seruilis, qui bonus est, & à Deo, nec sufficiens: initialis, qui bonus est, & sufficiens, castus, qui bonus est, & perficiens*. Eodem modo Apostolum commentatur Salmeron Theologus Pontificius in Tridentina Synodo, cuius propterea testimonium proderit plurimum ad intelligentiam Tridentini sess. 14. c. 4. Sic igitur ait Salme-

meron super locum ad Ro. *Si Deum homo respiciat, vt ne sibi infligat gehennam, tunc bonus est hic timor, non tamen est proxima, & idonea ad gratiam dispositio, quanquam sit causa, propter quod homo ad frugem redeat, nec est simpliciter virtus, sed dispositio virtutis.... Hęc volui, tam subtiliter differere, vt constet, quam operam præstet in iustificatione.* Qui Doctores meo videri sufficiunt, vt appareat sententiam dicentem, quod timor non sit vltima dispositio ad iustificationem, habere aliquod fundamentum in textu Apostolico.

X. Verum porrò est, quod in adductis Scripturæ verbis ex epistola Ioannis, & ad Ro. nulla fit specialis mentio de iustificatione, quæ habetur per sacramenta mortuorum, cum tamen dictio sit vniuersalis, & vniuersaliter explicetur à Doctoribus, videtur mihi inde optimè elici, quod non neglexerit dare doctrinam

necessariam modo ordinario iustificandi homines per sacramenta mortuorum, & se restrinxerit ad modum extraordinarium eos iustificandi per contritionem charitate perfectam cum solo voto sacramenti; quem casum fatemur omnes rarò contingere, prę- sertim quia Scripturæ Commentatores vtuntur vniuersali negatiua: *Timor non est proxima dispositio*, vt ait Salmeron, *timor non est sufficiens*, vt Glossa. *Timor initialis est in initio conuersionis*, quæ secum implicat negatiuam. Non tantum timor pænæ est in initio conuersionis. *Non metu pænæ fit innocens homo*, vt Prosper *Qui timet, non amat, nondum est inter filios*, vt Augustinus, & Beda.

CA-

CAPVT II.

Proponitur prima ratio Scholastica, ex qua videtur elici, quod timor sine vllo Dei amore propter se dilecti, non possit esse vltima dispositio ad impetrandam gratiam in Sacramentis Mortuorum.

XI. Angelicus q. 28. de ver. a. 4. in sexto argumento ita sibi obijcit: *Motus liberi arbitrij, qui requiritur in iustificatione, est sicut vltima dispositio ad gratiam, cum qua gratia infunditur: dispositio autem ad formam talis est, quod non possit esse sine forma, cum sit necessitas ad formam. Cum igitur motus fidei possit esse sine gratia videtur quod iustificatio non possit attribui motui fidei.* Huius argumenti maiorem admittit S. Thomas, & tantum respondet minori dicens

ad

ad iuſtificationem requiri credere in Deum, qui eſt motus fidei formatæ, Porrò eandẽ ego maiorem aſſumens, ita diſſero: Vltima diſpoſitio ad formam eſt neceſſitas ad formam: timor ſine vllo Dei amore propter ſe dilecti, non eſt neceſſitas ad iuſtificationem, quare non erit vltima diſpoſitio ad iuſtificationem. Quod autem timor non ſit neceſſitas ad gratiam, docet idem S. Doctor ad 3. *Timor ſeruilis, qui habet oculum ad pænam, tantùm requiritur ad iuſtificationem, vt diſpoſitio præcedens, non vt intrans ſubſtantiam iuſtificationis, quia ſimul cum charitate eſſe non poteſt.* Et a. 8. c. *Actus fidei informis, & attritio tempore præcedunt gratiæ infuſionem; & de talibus motibus liberi arbitrij ad præſens non loquimur, ſed de illis, qui ſunt ſimul cum gratiæ infuſione, ſine quibus iuſtificatio eſſe non poteſt in adultis: nam ſine præcedentibus poteſt.* Et in 4.

d. 17.

d.17.q.1.a.3. q. 3. ad 2. *Timor est remota dispositio ad gratiam: nunquam enim ad gratiam attingit, nisi adiungatur amor. Nos autem loquimur hìc de vltima dispositione ad gratiam, cum quà gratia datur.*

12. Ex quibus verbis latenter euertitur solutio, quæ dari potest authoritati Angelicæ dicendo S. Thomam loqui de timore extra sacramentum, non vt coniuncto sacramentis; Et euertitur ex duplici capite: etenim primò ait S. Doctor, *nos loquimur hìc* scilicèt in 17. dist. in qua Magister agit de contritione in ordine ad confessionem, vt ipse obseruat in diuisione textus Magistri; Et hìc vbi sequitur ordinem Magistri, loquitur de dispositione vltima, per quam gratia datur in sacramento pænitentię ad quam timor solum remotè disponit.

13. Secundò, propositio illa S. Thomæ *Timor nunquam attin-*

git

git ad gratiam, nisi adiungatur amor, vt etiam notatum est num. 10. de similibus est vniuersalis excludens propterea à timore omnem vltimam attingentiam gratiæ in quocunque casu, quæ propterea restringi non debet ad modum extraordinarium iustificandi homines extrà sacramentum à Christo Domino institutum, vt esset via ordinaria iustificandi genus humanum, præsertim vbi reperitur in Scholasticis, & Scholasticorum Principe. Hi enim iuxta scholæ methodum semper explicant, quid exigat natura rerum, non quid contingere possit in casu extraordinario, & raró contingente. Et hoc ordine procedunt in explicandis cæteris sacramentis; etenim loquentes de Eucharistia, & extrema Vnctione, dicunt per ea conferri secundam gratiam, licèt extraordinariè, & in aliquo casu conferatur prima; quod vltimum per incidentiam

con-

contenti fuerunt innuere, vt totalem doctrinam darent de sacramentis; quare cum antiqui Scholastici ne minimũ quidẽ verbum habeant, vndè elici possit timorem in sacramentis vltimo disponere ad gratiam, dedissent in suis scriptis motiuum adeò considerabile, vt Scholares crederent vniuersalem propositionem accipi debere vniuersaliter, & saltem in ordinaria iustificatione, quando è contra veniret intelligenda, tantum in casu particulari, rarò, & extraordinario, cum homo iustificatur per contritionem charitate perfectam. An verò credibile sit ita mancos fuisse Scholasticos, alij iudicent, in re tam graui, & necessaria.

XIV. Defecissetque non vnus Angelicus, verum & alij, in primis Alensis Doctor Irrefragabilis, qui p.4.q.12.vbi agit de pænitentia, vt virtus est, membr. 3. ait: *Si obijciatur: pænitentia conci-*

pi-

pitur à timore; igitur timor est sicut, pater, & ita generans; Respondeo *cum dicitur à timore concipi pœnitentiam, quod dico à est nota efficientis remoti, & per accidens.* Videbimus autem à num. 144. quod Sacramentum pænitentiæ in materia est eadem ipsa virtus; quare si virtutis pænitentiæ timor est efficiens remotum, erit etiam efficiens remotum sacramenti.

XV. De quo incipit Alensis agere quęst. 14. & hic agit de Sacramento pęnitentiæ in genere; in quæst. 15. de Sacramento pænitenrię in particulari quoad status, in quibus homo habet vti prædicto Sacramento. In 16. tractat. de tribus partibus sacramenti, quæ sunt contritio, confessio, & satisfactio, quas tamen examinat in generali, singulas in particulari examinaturus in subsequētibus; & quidem quia prima pars est contritio; de hac agit quæst. 17. vbi tradit plura, vndè elici videa-

deatur eum ſenſiſſe, quod purus timor, ſine vllo Dei amore propter ſe dilecti non poſſit eſſe vltima diſpoſitio ad gratiam; Omnibus tamen omiſſis adduco verba clariſſima ex membr. 4. a. 6. §. 4. quibus ait: *Ad hoc; quod obÿcitur de timore. Dico, quod timor eſt principium remotum, quia ex hoc, quod timet pænam inferni, deſiſtit ab actu peccandi, ſed nondum iuſtificatur; ſed poſt incipit moueri in Deum per amorem, & tunc iuſtificatur; & ſic timor eſt principium remotum.*

XVI. Albertus Magnus Angelici Præceptor in quæſt. 17. agens de pænitentia, vt eſt ſacramentum a. 10. ait: *ab omnibus quatuor exiguntur ad iuſtificationem;* vbique in ſacramento, alioqui ſaltaret extra chorum. *Contra hoc obÿcitur, quia dicit Bernardus: Timore vocamur ad Deum, amore iuſtificamur, ergo duo præter dicta quatuor exiguntur, timor, & amor.*

amor. Respondet autem. *Ad primum dicendum, quod quædam sunt præcedentia iustificationem, tanquam inclinantia ad illam, vt causæ, & illa tangit Bernardus, sed Magistri non tangunt, nisi ea, in quibus perficitur ipse motus iustificationis.* Ex quibus conuincitur, Albertum sensisse, quod timor sit dispositio præcedens, sed non vltima, cum de ratione vltimæ, vt dixi n. 11. sit esse saltem simùl tempore cum forma.


XVII. Quorum Bernardi verborũ vtile erit audire explicationem Alensis p. 4. qu. 17. membr. 3. a. 1. in resolutione dicentis: *Bernardus exprimit quodammodò ordinem progressus ad iustificationem impij; vnde exponens illud* Ro. 8. *quos prædestinauit &c. dicit: Audit se vocari anima, cum timore concutitur: sentit se iustificari, cùm amore perfunditur;* vndè habes timorem non vltimo disponere ad iustificationem, sed solum

esse

esse vocem inuitantem, & excitantem, qua impius credens gehennam sibi imminere, vt eam euadat, videns sibi necessarium esse amplecti iustitiam, & pænitentiam, se mouet ad illius amorem.

XVIII. Idem sentit Durandus in 4.d.17.q.1.n.7. his verbis: *Dispositio ex parte hominis, aliquando, & vt plurimùm est imperfecta à principio, quando homo à principio, timore pœnæ incipit pœnitere de peccato: pænitentia enim timore concipitur: solus autem timor non disponit sufficienter hominem ad iustificationem; & ideò talis timor præcedit iustificationem, non solùm ratione, sed etiam tempore, & talis dispositio vocatur attritio.*

XIX. S. Antoninus 4. p. tit. 14. c. 5. in proœmio: *Timor seruilis, quia non est in charitate, non sufficit ad salutem; & ideò pænitentes, præcipuè in infirmitatibus grandi-*



dibus oportet admonere, ne ad pænitendum, & confitendum (Notentur verba, ex quibus apparet Antoninum loqui de timore, vt coniungitur sacramento) *propter huiusmodi principaliter moueantur: nam inutilis esset sibi talis pænitentia: Hoc axpressè dicit Augustinus de pæn.d.7.e.vlt. Non in solo timore viuit homo: quem ergo serò pænitet oportet non solum timere Deum Iudicem, sed iustum diligere: non tantum pęnam timeat, sed anxietur pro gloria.* Ecce Antoninus intelligit Augustinum de timore, vt adiungitur sacramento, confirmatque suum dictum exemplo *cuiusdam scholaris, qui infirmatus ad mortem confessus, & cum multis lachrymis deuotè suscipiens omnia secundum humanum iudicium* post mortem apparuit suo Doctori dicens se fore damnatum, *quia pænitentia illa, & lachrymæ non fuerunt ex amore Dei, & principaliter propter eius offensam, sed pro-*

propter

pter timorem inferni, ne ad illum deputaretur, & ideò mihi non valuit.

XX. S.Bernardinus Senensis esto Concionator meretur connumerari Scholasticis, quia suas conciones scientificè semper exposuit: Aitque tom.1. serm.12. a. 2.c. 2. *Ricchardus de Media villa quinque dicit omninò necessaria ad salutem: primum est efficax dolor de præteritis culpis: secundum, propositum cauendi à mortalibus in futurum: tertium, si possibile est, confessio vera: quartum pro posse satisfactio iusta: quintum autem, quod cætera grata reddit, est quod hæc omnia principaliter moueantur amore Dei, non propter timorem inferni*. Et Bernardinus, & Ricchardus loquuntur, de timore vniuersaliter, etiam, quando illum, si potest, subsequitur vera confessio; & tamen dicunt apertè, *non debet quis moueri principaliter timore inferni, sed amore Dei*.

XXI.

XXI. Ioannes Roffenſis contrà articulos Lutheri art. 12. ad illa Lutheri verba: *Dico eam* (turbationem cordis in cognitione peccatorum ſuſcitatam) *non operari iuſtificationem, & remiſſionem peccatorum*, reſpondet: *Aliud eſt Luthere, iuſtificationem operari, aliud ad iuſtificationem operari, ac non nihil ad eam comparandam conferre. Nos planè vt concedimus hanc animi turbationem non operari iuſtificationem, ità negamus illam nihil omninò conferre iuſtificationi. Verbis teſtaris eam non efficere iuſtificationem, & rectè quidem teſtaris neque nos in hoc tibi reluctamur.* Et a. 14. in princ. *Superius monſtraui te vocabulum contritionis confundere ſolere, & aliquando pro dolore, qui præcedit abſolutionem, accipere; aliquando pro eo, qui comes eſt abſolutionis, & formatur gratia: tradis enim, quod contritio, quæ paratur ponderando grauitatem multitudinem, fæditatem peccatorum*

rum

rum facit hypocritam, & magis peccatorem, quam pridem fuerat; quod nimirum de dolore qui præcedit absolutionem, intelligi vis, & non de eo, qui concomitatur. Ex quo Roffensis discursu habemus eum vtique posuisse, quod timor conduceret ad iustificationem, sed tamen non vltimò disponeret, nam ex num. 11. vltima dispositio ad formam est simul tempore cum forma; doloremque comitantem gratiam esse distinctum, etiam in sacramento pænitentiæ ab eo, qui præcedit absolutionem; sed & habemus vtrunque hunc dolorem distinctum fuisse à Luthero; licet aliquando confuderit, nec Catholicos reluctari Lutheranis in eo, quod dicant timorem pænarum non operari iustificationem, sed in eo, quod dicant nihil conducere ad iustificationem, & facere hominem magis hypocritam, & peccatorem.

XXII. Tota etiam Academia

mia Louaniensis videtur subscripsisse huic communi veterum Scolasticorum sententiæ in decreto, quem ipsa edidit, & proponit Continuator Annalium Baronij ad annum 1544. num. 35. in cuius decreti art. 3. dicit pænitentiæ sacramentum complecti contritionem, confessionem, satisfactionem; in quarto explicat, quid veniat nomine primæ partis his verbis. *Contritio est dolor de peccatis propter Dei offensam susceptus cum proposito confitendi, & satisfaciendi, non autem (vt) quidã hoc sæculo perniciosè docent) terror conscientiæ propter apprehensũ gehennæ suppliciũ peccatis debitum: præparat enim hic terror, & gehennæ metus ad verã enim contritionẽ.* Quare cũ vltima dispositio ad gratiam sit illa contritio, seù dolor, qui dicitur pars sacramenti, timor gehennæ non poterit esse vltima dispositio.

XXIII. Iuuat audire Bellarminum quamuis longiorem ex l.

1. c. 19. contr. de pænit. vbi hæc habet: *Prima propositio: Terror incussus à lege, quem Lutherani contritionem, siue mortificationem appellant, non rectè inter partes pænitentiæ numeratur. Hæc propositio conformis est* Tridentino *Concilio sess.6 c.6. vbi numerantur quidem terrores incussi inter ea, quæ hominem ad iustificationem iuuant, tamen non ponuntur pænitentiæ partes, sed ab ea potius distinguuntur, cum inter eos, & pænitentiam, actus quidam spei, & dilectionis intercedere dicantur.* Aliud *enim est, aliquid ad iustificationem, & conuersionem requiri: aliud partem, siue actum esse pænitentiæ, si de pænitentia, vt Theologos decet, propriè loquamur. Igitur vt illos terrores ad conuersionem, vt plurimum requiri non negamus, ita partem esse pænitentiæ minimè concedimus.*

Nam in primis Scriptura distinguit terrorem à pænitentia, vbi enim legimus 2. *Cor.* 7. Quę secundum

Deum est tristitia, pęnitentiam in salutem stabilem operatur. *Per tristitiam intelligi debet molestia quædam, & timor, ac pudor natus ex obiurgatione illa vehementi, & minis, quibus Apostolus apud Corinthios vsus fuerat. Non enim vocat Apostolus eo loco tristitiam, dolorem de peccatis admissis, quæ est ipsa contritio, siue pænitentia, sed molestiam illam, & verecundiam, quæ æquo animo accepta, & secundum Deum pænitentiam saluberrimam gignit: nam c. 2. ait:* Ex multa tribulatione, & angustia cordis, scripsi vobis, non vt contristemini, sed vt sciatis, quam charitatem habeam, abundantiùs in vos. *Et c. 7.* Gaudeo *inquit*, non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad pænitentiam. *At certè Apostolus non hæc diceret si per tristitiam, dolorem illum acciperet, quo quis angitur, quod Deum offenderit. Non diceret, inquam* scripsi vobis, vt doleatis de

pec-

peccato, *cum hoc ipsum vehementissimè cuperet, neque diceret* non gaudeo, quia contristati estis; *cum maximè gaudendum sit, quod peccatores doleant se peccasse, & gaudium sit in cœlo super vno peccatore pænitentiam agente. Itaque vt Chrysostomus, & alij exponunt sententia Pauli est; non gaudeo de tristitia, gaudeo de fructu, qui est pænitentia. Et quemadmodum Medicus non gaudet, quod amaro pharmaco, vel sectione, aut adustione ægrotum cruciat: sic etiam Paulus non gaudet, quod aspera obiurgatione, & minis terrorem, & molestiam Corinthijs attulerit, sed quod ea molestia, ac terrores pænitentiam, eamque stabilem, & omninò salutarem pepererint. Vides igitur ex doctrina Apostoli pænitentiam non esse terrorem ex minis incussum, sed effectum quendam eius terroris, vt Concilium Tridentinum rectè docet.*

XXIV. *Deinde si quis inspiciat*

definitiones omnes pænitentiæ quæ apud Theologos tùm veteres, tùm recentiores extant, & simul inueniuntur apud Magistrum in 4. dist. 14. & apud Gratianum de pæn. d. 3. in nulla eorum terrores istos inueniet.

XXV. *Præterea cum partes pænitentiæ quærimus, non quosuis motus, qui quocunque modo ad pænitentiam pertinent, quærimus, sed eos motus, siue actus dumtaxat, qui ex ipsa virtute pænitentiæ procedunt.*

XXVI. Et c. 20. respondendo ad tertiam obiectionem, ait: *Incussi terrores à minis legis pænitentiam gignunt: proinde causæ sunt, non pars pænitentiæ.*

XXVII. Et lib. 2. c. 2. *Prima Propositio:* Contritio non est terror ex minis legis *conceptus. Hæc propositio probata est lib. superiore.* Quod vlteriùs confirmat nouis rationibus.

XXVIII. Et c. 7. responden-

do

do ad quintam obiectionem: *Sæpè numero Scriptura diuina tribuit vim iustificandi diuersis rebus, non quod solæ illæ iustificare possint, sed quod illæ vim suam habeant ad iustificationem, & ad eum finem perducant, si tamen cætera non desint, sic legimus Eccl. 1. Timor Domini expellit peccatum, neque tamen vllus est, qui inde colligat solum timorem sine fide, & dilectione, alijsque requisitis posse sufficere ad salutem.*

Ex quibus omnibus habeo, quod solus gehennę timor, vtpotè qui non est necessitas ad iustificationem, neque pars sacramenti pænitentiæ, non possit esse vltima dispositio ad gratiam; vltima enim dispositio est pars pęnitentiæ, & actus pænitentis, qua talis habens esse simul cum gratia.

CAPVT III.

Proponitur secunda ratio Scholastica, ex qua videtur elici timorem sine vllo Dei amore propter se dilecti non posse esse vltimam dispositionem ad impetrandã gratiã.

XXIX. AD huius rationis efficaciam percipiendam, necesse est præponere ordinem, quem ad inuicem & inter se habent passiones animæ, seù actus nostræ voluntatis. Hunc ordinem ponit, & mirabiliter explicat S. Thomas in 1. 2. quæst. 25. vbi a. 1. quærens, quæ sint priores, passiones concupiscibilis, an, passiones irascibilis, ad quas spectat timor de malo futuro, stabilit passiones concupiscibilis esse in duplici genere: aliæ enim important quietem, vt gaudium, quod quiescit in bono possesso, & tristitia, seù dolor importat quietem in malo, vt loquitur S. Doctor. Aliæ passiones concupi-

pi-

piſcibilis important motum, vt deſiderium, quo voluntas fertur in bonum nondum habitum. Et loquendo de paſſionibus concupiſcibilis, quæ important quietem in bono, manifeſtum eſt quod paſſiones iraſcibilis terminantur ad illas, quare in ordine executionis, ſunt priores illis. At ſi loquamur de paſſionibus concupiſcibilis, quæ important motum, *ſic manifeſtè paſſiones concupiſcibilis, ſunt priores* in ordine executionis; quare *paſſiones iraſcibilis, mediæ ſunt inter paſſiones concupiſcibilis quæ important motum in bonũ, vel in malũ, & inter paſſiones cõcupiſcibilis, quæ important quietem in bono, vel in malo; & ſic patet, quod paſſiones iraſcibilis, & principium habent à paſſionibus concupiſcibilis, & in paſſionibus concupiſcibilis terminantur.*

XXX. Cumque *concupiſcibilis obiecta ſint bonum, & malum,* addit a. 2. *& naturaliter bonum ſit*

prius malo, omnes passiones, quarum obiectum est bonum, naturaliter sunt priores passionibus, quarum obiectum est malum, vnaquæque, scilicet, sua passione opposita; quia enim bonum quæritur, ideò refutatur oppositum malum: bonum autem habet rationem finis, qui quidem est prior in intentione, sed est posterior in executione. Potest ergo ordo passionum concupiscibilis attendi, vel secundum intentionem, vel secundum consecutionem. Secundum consecutionem illud est prius, quod est in eo, quod tendit ad finem. Manifestum est autem, quod omne, quod tendit ad finẽ aliquẽ, primò quidẽ habet aptitudinẽ, seu proportionẽ ad finẽ: nihil enim tendit ad finẽ non proportionatũ: secundò mouetur ad finẽ: tertio quiescit in fine post eius consecutionẽ. Ipsa autẽ aptitudo, seu proportio appetitus ad bonum, est amor, qui nihil aliud est, quam complacentia boni: motus autem ad bonum est desiderium, vel concupi-

scen-

scentia: quies autem in bono est gaudium, vel dilectio; & ideò secundum hunc ordinem amor præcedit desiderium, & desiderium præcedit dilectionem, sed secundum ordinem intentionis est è conuerso: nam delectatio intenta causat desiderium, & amorem. Delectatio enim est fruitio, quæ quodammodò est finis.

XXXI. Probat autem in argumento, sed contrà amorem esse passionem cæteris priorem authoritate Augustini in 14. de Ciuit. Dei c. 6. & 9. dicentis, *quod omnes passiones ex amore causantur; Amor enim inhians habere, quod amatur, cupiditas est: id autem habens eoque fruens, lætitia est.* Et quia sibi obiecerat, quod amor est vis vnitiua, propterea videatur esse posterior desiderio, quod est motus ad vnionem, respondet ad secundum, *dicendum, quod duplex est vnio amati ad amantem: Vna realis secundum coniunctionem ad rem ipsam, & talis vnio pertinet*

ad gaudium, vel delectationem, quæ sequitur desiderium. Alia est vnio affectiua, secundum quod aliquid habet aptitudinem, vel proportionem, prout ex hoc, quod aliquid habet aptitudinem ad alterum, & inclinationem, iam participat aliquid eius, & sic amor vnionem importat; quæ quidem vnio præcedit motum desiderij.

XXXII. Confirmat hanc doctrinam a.3.his verbis: *Appetitus primò, & per se mouetur in bonum, sicut in proprium obiectum, & ex hoc causatur, quod recedat à malo. Proportionatur enim motus appetitiuæ partis, non quidem motui naturali, sed intentioni naturæ, quæ per priùs intendit finem, quam remotionem contrarij, quæ non quæritur nisi propter adeptionem finis.* In eaque persistit, dum specialiter explicat passiones irascibilis; nam q.43.a.1.explicans causam timoris, in argumento, sed contra, probat amorem esse causam timo-

moris authoritate Augustini lib. 83. quæstionum quęst. 33. in princ. dicentis. *Nulli dubium est nullam aliam esse metuendi causam, nisi, ne id, quod amamus, adeptum amittamus, aut non adipiscamur speratum*. Concludit autem Sanctus Thomas corpus articuli in hæc verba. *Ex hoc, quod aliquis amat aliquod bonum, sequitur, quod priuatiuum talis boni sit ei malum, & per consequens, quod timeat ipsum, tanquam malum*; Addens ad 1. *Timor primò, & per se respicit malum, quod refugit, quod opponitur alicui bono amato; & sic per se timor nascitur ex amore: secundario verò respicit ad id, per quod prouenit sibi tale malum, & sic per accidens quandoque timor inducit amorem, in quantum, scilicet, homo, qui timet puniri à Deo, seruat mandata eius, & sic incipit sperare, & spes introducit amorem*.

XXXII. Et quæst. 36. tractans de tristitia, seu dolore, qui in nostro

ſtro caſu cauſatur proximè ex timore, ex eo enim, quod gehennam timeo, procedo ad dolendum, ſeù triſtandum de peccatis per quæ mihi promerui gehennam, ait, quod triſtitiæ *duplex cauſa poteſt aſſignari: vna per modum finis: alia ſicut vnde eſt principium motus: ſicut deſcenſionis corporis grauis cauſa ſicut finis eſt locus deorſum: principium autem motus eſt inclinatio naturalis, quæ eſt ex grauitate: cauſa autem motus appetitiui per modum finis eſt obiectum; & ſic cauſa doloris, & triſtitiæ eſt malum coniunctum; cauſa autem ſicut vnde eſt principium talis motus eſt interior inclinatio appetitus, qui quidem priùs inclinatur ad bonum, & ex conſequenti ad repudiandum malum contrarium; & ideò huiuſmodi motus appetitiui primum principium eſt amor, qui eſt prima inclinatio appetitus ad bonum conſequendum: ſecundum principium eſt odium, quod eſt inclinatio*

tio

tio prima appetitus ad malum fugiendum, sed quia concupiscentia, vel cupiditas est primus effectus amoris, quo maximè delectamur, ideò frequentèr Augustinus, cupiditatem, vel concupiscentiam pro amore ponit; & hoc modo concupiscentiam dicit esse vniuersalem causam doloris.

XXXIII. Hanc doctrinā necessarium fuit fusiùs exponere, quia est fundamentum pluriū assertionum Theologicarum, ex quarum ignoratione multa deducuntur in moralibus aliena à vero sensu; quidquid tamen sit de hoc, ex eà habes primò in genere, quod hic est ordo nostrorum actuum, de ijs per se loquendo, & prætermittendo, quę per accidens contingunt, de quibus non potest haberi scientia. Voluntas post apprehensionem boni elicit primò amorem, quo sibi complacet in ipso bono; deinde desiderat consequi ipsum bonum in re; tertiò in-

intendit, seù proponit media ponere, quibus consequatur ipsum bonum, quod propositum potest esse efficax, & inefficax, & potest aliquando efficaciter intendere ipsum bonum; nihilominus dum ex vi predictæ intentionis eligit media, ex horum arduitate desistit ab efficaci intentione finis; aliquando verò esto sint ardua, ex passionibus irascibilis tendentibus in bonum, per spem, audaciam, & iram insurgit contrà impedientia realem consecutionem boni, quousque potiatur ipso fine, seù bono; quo possesso in ipso quiescit per gaudium, & delectationē, quæ delectatio, seù quies vltima in executione, prima fuit in intentione.

XXXIV. Et predicta particulariter applicando ad iustificationem impij per sacramentum pænitentiæ, actus per se ad illam requisiti, videntur esse tales: primò

mò amor, seù complacentia, per quam homo sibi complacet in ipsa iustificatione, quam videns esse maximum, & desiderabilissimum bonum, desiderat, & intendit ponere media, vt illam in actu consequatur; & quidem si ea sit vis intentionis, vt per illam ponat omnia media necessaria consecutioni, causabitur in impio vnio effectiua, qua per amicitiam sit vnitus Deo amato, & redamanti.

XXXV. Timor autem de malo futuro post hanc vitam, & tristitia de peccatis commissis, quia causatiua sunt gehennæ, & æterni supplicij non possunt esse vltima dispositio ad impetrandam iustificationem; quod sic probatur ex doctrina proposita; nam actus, qui necessariò dicit ordinem ad alium actum, non potest esse vltima dispositio ad recipiendum habitum; tristitia autem, & timor vtpotè passiones

irascibilis dicunt essentialiter ordinem ad actus concupiscibilis, qui sunt per modum quietis in ipsa iustificatione, & ad illum actum, quo voluntas eligit, & consentit se subijcere gratiæ iustificanti, quæ subiectio est simùl tempore cum infusione gratiæ, diciturque propterea necessitas ad gratiam, & in sententia S. Thomę procedit à gratia in genere causæ efficientis, eamque subsequitur in genere causæ materialis.

XXXVI. Illud solum conceditur ex S. Thoma adducto num. 32. quod per accidens ex vitio, scilicèt, per peccatum corruptæ naturę quod homo impiùs habens se ipsum pro fine, reflectit ex peccatis non posse consequi suum bonum, sed imò maximum malum, scilicet, æterna supplicia, quorum timore correptus dolet de peccatis, quia tantum sibi malum causant; & excitatur inde, seù occasionem sumit ad quæ-

ren-

renda media, vt gehennam possit euadere, cognoscit vnum tantùm sibi superesse, si per pænitentię lamenta ad Deum accedat, a quo per peccata recesserat. Ab eo veniam sperans, incipit veniam amare, veniam desiderare, veniam intendit, & pro ea consequenda, proponit media eligere, à Deo præscripta, confessionem &c. quibus medijs positis, quæ sunt necessaria secundum Dei ordinationem, liberè se subijcit gratiæ Deoque animam inhabitãre fruitur, in eo quiescit, & delectatur, vndè vltima dispositio ex parte impij ad gratiam non est timor ille, vel tristitia concepta de peccatis, eo quia malum sibi tàm grande causabunt, sed est actus ille, quo impius vult, amat, consentit, & eligit subijcere se Deo, vt per gratiam inhabitet animam volens, quò semper inhabitet, eius mandata seruare, & illi in omnibus adhærere.

CA-

CAPVT IV.

Proponitur noua ratio, ex qua videtur elici, quod timor sine vllo Dei amore propter se dilecti non possit esse vltima dispositio ad iustificationem in sacramentis mortuorum.

XXXVII. CVM vltima dispositio ad formam, sit necessitas ad formam, vt dictum est hucvsque, necessariò trahens formam, illi coexistens simul tempore, imò iuxta S. Thomam procedens efficienter à forma, hinc videtur elici, quod timor non possit vltimò disponere ad iustificationem ex alio capite; nam timor iste sine vllo Dei amore potest esse sine gratia, vt est Catholicorum manifesta sententia, quam apertè docet S. Thomas innixus authoritati S. Augustini, 2.2. quęst. 19. art. 9.

his

his verbis : *Timor seruilis non est nnmerandus inter septem dona Spiritus Sancti, licet sit à Spiritu Sancto, quia, vt Augustinus dicit 1. de nat. & gratia c. 17. potest habere annexam voluntatem peccandi.*

XXXVIII. Doctrinam hanc antiquis, & modernis communem definiuit Tridentina Synodus sectione 14. c. 4. de pęn. dum dixit : *Contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam, vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ, & pænarum metu, communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ declarat non solùm non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem; verum etiam donum Dei esse, & Spiritus Sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum mouentis. Et quamuis sine sacramento pænitentię per se ad iustificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in sacramento pænitentiæ impe-*

pe-

petrandam disponit. In quibus verbis considero primò illam conditionem *si voluntatem peccandi excludat*; vnde elicitur, quod non semper excludat, sed quod possit stare cum voluntate peccandi; quare non est necessitas ad gratiam, & per consequens neque vltima dispositio: secundò considero, quod huiusmodi contritio imperfecta dicitur *donum Spiritus Sancti nondum inhabitantis*; cumque Spiritus Sanctus animam per gratiam inhabitet, sequitur, quod iste timor non sit comes gratiæ, sed præcedens gratiam, quia est donum Dei mouentis ad gratiam tertiò considero, quod ista contritio *donum Spiritus Sancti nondum inhabitantis, disponit ad Dei gratiam in sacramento pænitentiæ impetrandam*; vnde infero, quod ista contritio non est vltima dispositio ad impetrandam in sacramento pęnitentiæ gratiam; vltima enim dispositio vtporè coniun-

niuncta gratiæ, est donum Spiritus Sancti inhabitantis.

XXXIX. Aliunde etiam ostēditur, quod timor licèt sacramento coniunctus non possit esse vltima dispositio ad gratiam. Docet enim Philosophia, quod sicut in specie vna est forma, ita vna sit dispositio ad formam, dispositio, inquam, vltima; neque duæ rationes formales possunt facere vnam quare concurrentibus his duobus actibus, timore, & confessione sacramentali, assignandus erit, quis ex his duobus, de se sit vltima dispositio ad iustificationem; cæterùm omissa hac subtili ratione, quam Philosophia communicare potest, & debet Theologiæ, ex locis Theologicis, videor mihi desumere, quod timor etiam coniunctus sacramento, absque vllo amore Dei propter se dilecti non iustificet.

XL. Etenim, vt audisti nu. 6. ex S. Thoma timor ex amore

causatur, & de timore iudicatur ex amore; quare vt iudicetur de timore coniuncto sacramentis, an iustificet, videndum est ex cuius amore causetur iste timor, & siquidē causetur non ex amore iustificationis, non ex voluntate subijciendi se gratiæ, & eligendi, vt animam inhabitet Spiritus Sanctus, mihi videtur, quod timor iste sit insufficiens etiam cum sacramento ad introducendam gratiam, cui se subijcere, & quam in se homo non appetit. Et valet ad hoc exemplum à S. Antonino inductum, adductumque à me num.19. quod placet hic aliquantulum considerare, nam ille Scholaris coniunxit hunc timorem non modò sacramento pœnitentiæ, verùm etiam reliquis, iuxta morem Ecclesię recipiendis à moribundo; ea recepit, ad effectum se iustificandi, quia tamen hic non fuit finis principaliter intentus in susceptione sacramen-

to-

torum; ſed ſecundariùs, nam primò, & per ſe intendebat remiſſionem peccatorum, vt fugeret gehennam, ideò fuit fruſtratus effectu.

XLI. Huic exemplo non video quid poſſit opponi, niſi factum negare, quod eſt Critici, non Theologi; & Critici nodum quærentis in ſcirpo; nam vera Criſis, & Theologia negat ea ſolum facta, quæ non habent fundamentum; Ille autem caſus narratur à viro Sancto, fundaturque in bona ratione, quod potuerit contingere, etenim omnis forma habet facere duos effectus, alterum priuatiuum, qui eſt tollere contrarium: alterum poſitiuum, qui eſt ponere ſuum effectum formalem; & natura quidem primariò ſemper intendit effectum poſitiuum: priuatiuus verò ſequitur ſecundariò, & ex neceſſitate materię; quare natura intendit generationem nouæ formę, non cor-

ruptionem veteris, & homo, qui intenderet primariò effectum privatiuum, & secundariò positiuum, inordinatè ageret, atque peccaret. Ita si Princeps designaret ab altero indigno tollere officium, & mihi conferre; possum ego licitè intendere primariò meum bonum, ex quo sequitur priuatio alterius; peccarem tamen, si principalitèr intenderem malum alterius, & secundariò meum bonum. Ita S. Thomas 2. 2. quęst. 64. a. 7. docet duos esse effectus, dum quis defendendo se ipsum cum moderamine inculpatæ tutelæ occidit hostem; est effectus positiuus defensio sui ipsius est effectus quo hostis priuatur vit a, qui vtpote priuatiuus, est secundarius, & quanquam liceat sę ipsum defendendo, hostem occidere, cum moderamine inculpatæ tutelę, peccarem tamen peccato homicidij, si intenderem primariò, & principaliter effectum

ſecundarium; quia omnia debent ordinatè intẽdi; quare etiã impius vt iuſtificetur debet intẽdere primariò effectum poſitiuum ſacramentorum, qui eſt iuſtificatio, & licet poſſit ſecundario intendere fugam gehennę quia poteſt habere oculum ad pænam, non tamen poteſt intendere primariò hunc effectum ſecundarium; quare optimè dixit S. Antoninus ſcholarem illum fuiſſe damnatum, quia principalitèr reſpexit ad pænam, & ſecundario tantùm ad gloriam.

XLII. Addendum tamen eſt ad totalem quęſtionis elucidationem, quod vt quis dicatur reſpicere principalitèr effectum ſecundarium, debet illum formalitèr, & expreſſe intendere tanquam finem primarium: aliàs vnuſquiſque præſumitur reſpicere omnia, eo modo. & ordine, quo ſunt reſpicienda, ſic in allato exemplo occidentis hoſtem pro ſua defen-

ſione, in certamine priuato, vel etiam in bello publico, niſi expreſsè defendens, & pugnans intendant explere ſuum odium, intelliguntur operari iuxta ordinem rebus à Deo inditum, & velle omnia in ea linea, in qua ſunt instituta: quare, & impius habens oculum ad pænam, dum quærit iuſtificari niſi formalitèr, & expreſsè intendat primariò fugam gehennæ, intelligitur eam velle eo modo quo eſt annexa iuſtificationi, ſecundario, ſcilicet, etiamſi verè intendat fugam gehennæ, neque enim ex eo quod illam intendit, neceſsè eſt, vt intendat primariò, & principalitèr, ſed intendit, quomodò eſt intendibilis.

CA-

CAPVT V.

Inuestigatur mens Concilij Tridentini circà hunc timorem, an, scilicet eius intentionis fuerit, docere, quod timor sine vllo amore Dei propter se dilecti, sit vltima dispositio ad impetrandam gratiam in sacramentis mortuorum.

XLIII. ET quidem multis videtur ita sensisse Synodus, imò Hiquæus super Scotum in 4. dist. 14. num. 56. charactere cursiuo, ac si essent Tridentini, adducit hæc verba. *Contritio imperfecta, quæ attritio dicitur, inquit Tridentinum, sufficit ad pænitentiæ sacramentum, & sufficienter disponit ad veniam peccatorum in sacramento pænitentiæ obtinendam*; nec enim legere est in toto Tridentino particulas illas *sufficit, sufficienter*, quæ ex inad-

uertentia debent fuisse insertæ, cum alias ipse ibi probet attritionem illam, vt sufficiat ad sacramentum oriri debere ex aliquo Dei amore propter se dilecti; quam attritionem ego etiam profiteor sufficere.

XLIV. Quidquid tamen sit de hoc, canone 4. prędictæ sessionis 4. sic explicatur regula Catholica. *Si quis negauerit ad integram, & perfectam peccatorum remissionem, requiri tres actus in pænitente, quasi materiam sacramenti pænitentiæ, videlicet, contritionem, confessionem, & satisfactionem, quæ tres pænitentiæ partes dicuntur; aut dixerit tantùm esse duas pænitentiæ partes, terrores, scilicet, incussos conscientiæ agnito peccato, & fidem &c.* anathema sit. Conferendus est hic Canon cum particula cap. 4. vbi Synodus dicens de attritione, quod disponat ad impetrandam in sacramento pænitentię gratiam; addit: *Hoc enim*

ti-

timore vtiliter concussi Niniuitæ ad Ionæ prædicationem plenam terroribus pænitentiam egerunt, & misericordiam à Domino impetrarunt. Collati hi duo textus videntur habere solam differentiam verborum, in canone enim dicit *terrores incussos*; in capite autem dicit *timore concussi*. Videtur autem Synodus pro eodem habuisse terrores, ac timores; nam subsequenter addidit *plenam terroribus pænitentiam egerunt*; Insuper Synodus, quanquam non se declaret, videtur tamen voluisse negare, quod neutra partium à Nouatoribus assignatarum esset pars sacramenti; quare crederem, ni fallor, negasse quod terrores incussi agnito peccato, sint pars sacramenti, quibus sic stantibus, vrgeo sic: nàm vltima dispositio ad impetrandam gratiam in sacramento, debet esse actus virtutis pænitentię, & veluti materia sacramenti; cumque ex Synodo

deducatur terrores incussos non esse partem pęnitentiæ, neque erunt materia sacramenti, & vlteriùs non erunt vltima dispositio ad impetrandam gratiam in sacramento.

XLV. Quia tamen stantes pro sufficientia timoris fundant se in cap. 4. Concilij; ideò congruum existimo eum integrum hic referre, vt indagari possit mens Patrum. *Contritio*, inquit, *quę primum locum inter dictos pænitentis actus habet, animi dolor, ac detestatio est de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero. Fuit autem quouis tempore ad impetrandam veniam peccatorum, hic contritionis motus necessarius: & in homine post baptismum lapso, ita demum præparat ad remissionem peccatorum, si cum fiducia diuinæ misericordiæ, & voto præstandi reliqua coniunctus sit, quæ ad ritè suscipiendum hoc sacramentum requiruntur. Declarat igitur*,

San-

Sancta Synodus hanc contritionem, non solum cessationem à peccato, & propositum nouæ vitæ, & inchoationem, sed veteris etiam odium continere, iuxtà illud Ezech. 18. Proijcite à vobis iniquitates vestras, in quibus præuaricati estis, & facite vobis cor nouum, & spiritum nouum. Et certè qui illos Sanctorum *clamores considerauerit Ps.* 50. Tibi soli peccaui, & malum coram te feci. *Ps. 6.* Laboraui in gemitu meo, lauabo per singulas noctes lectum meum. *Is.* 38. Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animę meæ, *& alios huiusmodi generis facilè intelliget eos ex vehementi quodam anteactæ vitæ odio, & ingenti peccatorum detestatione manasse. Docet præterea, & si contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc sacramentum actu suscipiatur; ipsam nihilominus*

reconciliationem ipsi contritioni sine sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam. Illam verò contritionem imperfectam, quę attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ, & pænarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ declarat non solum non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem; verùm etiam donum Dei esse, & Spiritus Sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum mouentis, quo pænitens adiutus viam sibi ad iustitiam parat. Et quamuis sine sacramento pænitentiæ per se ad iustificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in sacramento penitentiæ impetrandam disponit.

XLVI. Ex huius capitis doctrina desumitur principale argumentum pro sufficientia timoris, cui antequam satisfaciam obser-

uo quædam , quæ mihi videntur facere pro mea opinione , quod non sufficiat timor, & quod præterea requiratur ad sacramentum pænitentiæ verus amor Dei propter se dilecti. Et considero, quod definit contritionem, quæ est primus actus pęnitentis; & est difficile suadere Canonistis , quod illa verba, quæ *primum locum inter pænitentis actus* habet, regant totum illud longum caput , etiam vbi agitur de contritione imperfecta, de qua agitur per nouam, absolutamque propositionem; & insuper quia , vt notaui num. 44. in Canone 4. negat Synodus terrores incussos esse actus , seù partes pænitentiæ : hac tamen consideratione relicta Canonistis; hæc occurrunt consideranda Theologo Scholastico .

XLVII. Primò contritio, quę est primus actus pęnitentis fuit quouis tempore necessaria ad impetrandam veniam peccato-

rũ; cumque solus ille actus fuerit necessarius, qui coniũgitur amori Dei propter se dilecti; Synodus hunc solum videtur dixisse esse primum pænitentis actum.

XLVIII. Secundò declarat Synodus hanc contritionem continere propositum nouæ vitæ. Vt autem probabo à n. 76. simile propositum importat amorem Dei propter se dilecti.

XLIX. Tertiò, quę est dolor animi, ac detestatio de peccato commisso, cum fiducia diuinæ misericordiæ, & voto præstandi reliqua necessaria ad ritè suscipiendum sacramentum, continens cessationem à peccato, propositum, inchoationemque nouæ vitę nec non veteris odium, non semper iustificat ante sacramentum: Synodus enim declarat, aliquando tantum contingere, quod sit charitate perfecta iustificansque ante actualem susceptionem sacramenti; Iam quæro; contritio

ista,

ista, de qua Synodus loquitur, & aliquando non est charitate perfecta, vel procedit ex aliquo amore Dei propter se dilecti: vel non: si primum: erit reperire in Synodo, quod aliquis amor Dei propter se dilecti non iustificat; & sic omnis ratio corruit, vndè firmant, quod timor pænarum cum sacramento iustificat, quia alios absolutio sacramentalis supponeret hominem iustificatum ex vi illius amoris Dei propter se dilecti, cui tribuunt vim iustificandi sine sacramento: si dicatur secundum; præter quam quod, vt innui, nouę vitæ propositum exigit amorem Dei, illud insuper dignissimum est obseruatu, quod iam Synodus declarauerat huiusmodi contritionem esse actum pænitentis, & præparare ad remissionem peccatorum; quare non erat necessarium, traditam semel doctrinam repetere addendo. *Illam verò contritionem imper-*

per-

perfectā si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ . . . ad impetrandam in sacramento pænitentiæ gratiam disponit.

L. Quartò quoad insinuata verba Synodus dicit attritionem puram, seù timorem, excludentem voluntatem peccandi cum spe venię disponere ad impetrandam gratiam in sacramento, & volunt aduersarij, quod Synodus intelligat dispositionem sufficientem, & vltimam; aliterque saluari non posse definitionem Conciliarem; Ego verò sic vrgeo. In parte prędicta illius capitis non meminit Synodus propositum nouę vitę, non odium veteris, non votum præstandi reliqua, necessaria ad suscipiendum ritè sacramentum; quæ tamen requiruntur, vt sufficienter dicatur disponere contritio, & ita cum contritione requiruntur, vt illis adminiculata contritio iustificet ante sacramentum, vnicè quando est chari-

ritate perfecta; Cum igitur Tridentina Synodus in ea parte capitis non memoret conditiones, quæ ex omnium consensu requiruntur, vt contritio dicatur vltima sufficiensque dispositio, mihi videtur in prędicta parte per se sumpta Synodus velle quidem attritione nos disponi ad gratiam quia aliqualiter attritione disponimur ad gratiam, etiam si non coniuncta proposito, sed non velle, quod attritione sufficienter disponamur, quia sufficiens dispositio exigit alia inibi non memorata.

LI. Quod si dicatur periodus illa inuoluere tria illa superiùs tacta in vniuersali doctrina de contritione, scilicet, propositum nouę vitæ, odium veteris, & votum præstandi reliqua, iam tetigi num. 48. quod propositum nouæ vitę importat de se amorem Dei; quid enim, quęso, aliud est propositum nouæ vitæ nisi proposi-

tum

tum vitę Christianę, propositum seruandi omnia mandata Dei, inter quæ maximum, & primum est ex Matth. c. 22. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua*. Cæterum id diffusius probabo inferius à n. 76.

LII. Quo tamen integrè percipiatur mens Tridentini, nonnulla delibo ex historia Concilij, quam edidit Cardinalis Pallauicinus, super tali decreto, dicens l. 12. c. 10. num. 3. *Fuisse proposita examini placita Hæreticorum, vt super ijs Patres firmarent sensum Catholicum*. Tres non esse partes Pænitentię &c. iuxta adducta à num. 44.

Sic autem Cardinalis num. 24. exponit, quæ Theologi, & Patres super ijsdem meditati fuerant. *Iacobus Laynez primus ad loquendum inter minores Theologos damnans secundam partem prædicti articuli, dixit ad sacramentum requi-*

ri-

ri pænitentiam, timorem, dilectionem, contritionem, absolutionem; Necessariam pariter dilectionem dixit Iacobus Ferrusius, atque hinc reiecit prædictum articulum, ostendens in solo timore non esse amorem, qui absolutè necessarius est, Christo dicente Luc. 7. Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum; *dilexit in præterito, quia dilectio præcedit remissionem. Et Apostolo* 2. *Cor.* 7. Quæ secundum Deũ (*amatum dicebat Ferrusius*) tristitia est, pænitentiam in salutem stabilem operatur. *Et Ro.* 2. Benignitas Dei ad pęnitentiam te adducit. *Quare Augustinus.* sine amore non datur gratia. *Requirebat igitur ille primò amorem in Deum, vi cuius dicerentur verba Scripturæ Thren.* 5. Conuerte nos Domine ad te; Et *Apoc.* 3. Ecce sto ad ostium, & pulso. *Præter amoris actum exigebat actum fidei, quia Hæbr.* 11. Sine fide impossibile est placere Deo. *Hinc fit, quod*

bo-

homo deteſtetur peccatum. ſurgat in ſpem, & incipiat diligere: Deus deinde det gratiam. Amor tamen prædictus non eſt naturalis quanquam aliquid conferat amor naturalis. Ita Ferruſius. Melchior Auoſmedianus dixit primò nos dolere timore pænæ: deinde propter Deum: tertiò ſequi confeſſionem: Bernardus Coloredus voluit timorem, deteſtationem fidem, qua generetur ſpes, ſpem, qua generetur dilectio. Eadem ſenſit Contreras ex Minoribus, quos dicunt Obſeruantes. Et quidem, quantum conijcio ex Actis, Theologi intendebant damnare errores Hæreticorum, reprobantium vt malum timorem pænæ, non decidere quæſtionem Scholaſticam, an huiuſmodi timor ſufficiat in ſacramento pænitentiæ ad remiſſionem peccatorum, non modò cum deſtituitur contritione perfecta (de quo vix dubitatum eſt) ſed etiam cum deſtituitur omni amore imperfecto.

Inter Epiſcopos pauci tractarunt

hunc

runc articulum. Reperio *vestigium opinionis negantis necessitatem amoris in voto Granatensis; cum tamen Tydensis oppositam teneret de necessitate contritionis perfectæ, & licet ad sacramentum accedens ex illa contritione sit iustificatus, iustificationem tamen tribuebat sacramento cuius votum est contritio.*

LIII. *Præterea sciendum in decreto Doctrinæ primo positæ fuisse hæc verba:* Contritio à Theologis dicta Attritio, quia est imperfecta, oriens ex consideratione turpitudinis peccati, vel gehennæ metu, diciturque timor seruilis, si voluntatem peccandi excludat, & dolorem de peccatis commissis, statuit Sancta Synodus non solum non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, sed sufficere ad constitutionem huius sacramenti, & donum Dei esse, ac impulsum verissimum Sancti Spiritus, non quidem adhuc inhabitantis, sed

san-

tantum mouentis. Quo pænitens adiutus (cum vix esse possit sine vllo motu amoris in Deum) se ad iustitiam parat, & disponit ad facilè impetrandam Dei gratiam. *Suggerente tamen Episcopo prædicto falsum esse, quod vix dari possit timor sine amore, & varia sentire Doctores circa virtutem iustificandi in decreto tributam huic attritioni, fuit emendatum decretum iuxta tenorem, quo nunc legitur.* Erat *etiam dispositus Canon ad damnandos, qui dicerent peccata non remitti per contritionem, qua pænitens gratiæ Christi cooperans dolet de peccatis propter Deum, cum proposito confitendi, & satisfaciendi; qui etiam deletus fuit ex insinuatione Calaritani dicentis non esse in illo damnandam opinionem Caietani, & Adriani. Incubuerunt etiam, in declarando partes sacramenti pænitentiæ exemplo Concilij Florentini non præiudicarent sententiæ Scoti.*

LIV.

Ex hac ratione colligo ſequentia: primò Theologi Tridentini agnouerunt, & publicè propugnarunt neceſſitatem amoris Dei, ſeù quod idem eſt, inſufficientiam ſolius timoris ad iuſtificandum; An autem credibile ſit Patres in ſuo decreto voluiſſe è contrà definire ſufficientiam timoris negatam à Theologis, iudicent alij: ſecundò tunc ſolum Patres dixerunt attritionem ſufficere ad conſtituendum ſacramentum, quandō credebant attritionem non poſſe eſſe ſine vllo Dei amore. quando autē cōſtitit quod attritio eſſet ſeparabilis ab amore, non amplius dixere attritionem ſufficere, ſed ſolum diſponere; quod ego exiſtimo plusquam ſufficere, vt appareat non eſſe de eorum mente, quod ſufficienter diſponat. Tertiò Patres noluiſſe damnare quamlibet ſententiam Catholicorum, ſollicitos nihil præiudicare Scoto, neque reprobare

opi-

opinionem singularem Caietani, Adriani; & quia iam ostendi S. Thomam, aliosque Doctores, adductis eorum textibus docuisse, quod timor non possit esse vltima dispositio ad gratiam, dicenda est Synodus in nihilo præiudicasse huic sententię: quartò cum intenderint tantum damnare errores Nouatorum, non definire controuersias Scholasticorum, apparet verus, & genuinus sensus prædicti capitis quarti.

LV. Etenim errores examinati continebant nō tres esse partes pęnitentiæ, sed terrores incussos, & fidem, Hæreticisque addentibus contritionem, quę paratur per discussionem, collectionem & detestationem peccatorum non præparare ad gratiam, nec remittere peccata, sed facere hominem hypocritam, & magis peccatorem: demum illam esse dolorem coactum, & non liberum. His, inquam, erroribus Hæreticorum

op-

opposuit Synodus veritatem Catholicam docens cap. 3. tres esse partes pænitentiæ, contritionem, confessionem, & satisfactionem, illas ipsas, quas negabant Hęretici; singularumque quidditatem explicatura, cap 4. examinat contritionem, quæ est primus actus pęnitentis; in ea dicit importari dolorem, ac detestationem peccati commissi cum proposito non peccandi de cætero, fiduciam diuinę misericordiæ, votum præstandi necessaria ad sacramenti perceptionem, cessationem à peccatis, nouæ vitæ propositum, & inchoationem, odium veteris, quod odium quia non nemo spargebat contra Ecclesię sensum non esse necessarium, volens sufficere nouam vitam, probauit peculiariter ex Scriptura necessitatem istius odij: & ne videretur aliquid nouum docere, profitetur contritionem de qua loquitur, omni tempore necessariam fuisse ad salu-

lutem. Et quoniam ita descripsit contritionem, vt aliquis potuisset dubitare, num ita in homine lapso prepararet ad remissionem peccatorum, vt eam conferret ante actualem susceptionem sacramenti, declarat se quidem in definitione comprehendisse contritionem illam, quæ iustificat ante sacramentum ex solo voto sacramenti, sed tamen addit non se restrinxisse ad solam hanc, sed de omni se fuisse locutam contritione, quæ sit actus pænitentis qua talis, quod voluit intelligi à se iure factum, quia, scilicet, iustificari per contritionem ante sacramentum est casus rarus, tantum aliquando contingens, quando, scilicet, contritio illa est charitate perfecta.


LVI. Cumque videret etiam apud Catholicos sub nomine contritionis aliquoties venire attritionem, existimauit idem caput concludere cum doctrina

spe-

ſpectante ad illam ; quare contrà blaterantes attritionem non prȩparare ad gratiam , docuit Synodus præparare ad gratiam impetrandam in ſacramento, quæ eſt doctrina contradictoriè oppoſita errori . Contra dicentes facere hominem hypocritam, & magis peccatorem ſtabiliuit non facere hominem hypocritam , & magis peccatorem ; & quia ex hæreticorum placito ſequebatur contritionem illam , vtpotè reddentem magis peccatorem eſſe peccatum , ne dubitare poſſent Catholici ſolùm negari , quod illa contritio eſſet peccatum , cum quo ſtet, quod poſſit eſſe actus ex obiecto, & ſpecie indifferens, ſui muneris partes credidit inſuper declarare quod eſſet actus ex ſpecie bonus, vtpotè qui ſit donum Dei, & impulſus Sancti Spiritus , ſub quo donorum Dei nomine , ne poſſet calumniam pati ab hære-

reticis, tanquam docuisset contritionem illam esse connumerandam inter septem dona Spiritus Sancti, apposuit particulam limitatiuam, vt quidem dicenda sit donum Dei, sed Dei nondum inhabitantis, per quam discernitur à septem donis, qui solum sunt in homine, cuius animam Deus inhabitat per gratiam. Tandem quia Nouatores volebant huiusmodi contritionem esse dolorem coactum, non liberum, dixit falsò doceri, quod sit extorta, & coacta, non libera, nec voluntaria. Hæc sola fuere de mente Tridentini; quæ omnia cum optimè saluet, quisquis dicit timorem sine amore non esse vltimam dispositionem ad impetrandam gratiam, imò positis obseruationibus, quæ dedi supra existimo magis se conformare ad mentem Tridentini, qui dicit
istum

istum timorem non esse vltimam dispositionem, etiam si sit coniuncta sacramento; quod magis patebit ex decursu huiusce dissertationis.



CAPVT VI.

Inuestigatur mens veterum Scholasticorum, vbi dixerunt attritionem sufficienter disponere ad impetrandam gratiam in Sacramentis mortuorum.

LVII. Distinctio illa de dispositione ad gratiam vltima, & non vltima, sufficiente, & non sufficiente data fuit verbis Concilij, quia eam videbantur exigere; non tamen potest fundatè applicari dictis veterum Scholasticorum, qui pro certo habuerunt ex attrito hominem fieri contritum, & est hoc velut adagium in scholis; & propterea non est necesse eorum loca adducere; sufficiet ad hanc veritatem insinuandam vnus Angelicus in 4.d.6.quæst.1.a.3. quæst. 1.ad 5. docens: *Ad hoc, quod homo*

mo præparet ſe ad gratiam in baptiſmo percipiendam, prçexigitur fides ſed non charitas, quia ſufficit attritio præcedens, etſi non ſit contritio. Aliam igitur viam ingrediens.

LVIII. Dico quod antiqui Scholaſtici nomine attritionis non intelligebant purum timorem ſeruilem ſine vllo Dei amore, ſed in attritione inuoluebant aliquam Dei dilectionem, vi cuius in illum propter ſe tenderent. Hoc autem primò deduco ex locis apertis à me datis in capite ſecundo, ex quibus apparet conſtantiſſime ſemper eos tenuiſſe, quod timor non eſt vltima diſpoſitio, ſed principium remotum iuſtificationis; quod argumentum ſanè adeò mihi videtur efficax, vt ſi alia deeſſent, crederem eo ſolo conuinci attritionem aliquid dicere ſuprà timorem, quando hunc volunt inſufficientem iuſtificationi, etiam per ſacramenta, hanc ſufficienter iuſtificare in ſa-

cramento; nihilominus etiam aliunde probatur, adducendo verba clarissima, quibus expresserunt attritionem à se cognitam, vt sufficientem importare aliquem Dei amorem propter se dilecti.

LIX. Omnibus præeat Sanctus Thomas. Hic in 4. d. 17. q. 1. a. 2. totus est, vt explicet præparationem, quæ est necessaria peccatori, dum adhuc est in peccato, vt possit consequi gratiam iustificationis; & Angelicum disserere de eo, vt est in statu peccati colligitur ex quæst. 2. vbi tamen etiam manifestè requirit aliquem motum amoris in Deum propter se dilectum. Eius hæc sunt verba; *Præparatio, quæ exigitur in materia, vt formam suscipiat, duo includit, scilicet, quod sit in debita proportione ad formam, & ad agens, quod debet formam inducere, quia nihil se educit de potentia in actum. Debita autem proportio ad suscipiendum actum agentis atten-*
di-

ditur secundum debitam approximationem ad agens. In spiritualibus autem non est intelligenda localis approximatio, sed spiritualis, quæ est dupliciter: primò per similitudinem naturæ; secundò secundum effectum, quia secundum Augustinum Deo, non loco, sed affectu propinquamus. Ad hoc ergo vt voluntas se ad gratiam iustificantem præparet, oportet, quod se in debita proportione ad Deum, qui dat, & ad gratiam, quæ datur, ponat. Proportio ad Deum per naturæ similitudinem non est in potestate voluntatis similiter nec proportio capacitatis gratiæ. Vnde relinquitur, quod in ipsa voluntate sit appropinquare Deo per affectum, & desiderium, & ordinari ad gratiam per remotionem impedimenti, quod est peccatum. Et ideò per displicentiam peccati, & affectum ad Deum se aliquis ad gratiam præparat; & quando hæc duo efficaciter facit, dicitur facere, quod in se est, & gratiam re-

cipit. De primo horum dicitur Iac. 4. Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis. *De secundo Apoc.* 3. Si quis aperuerit mihi, intrabo.

LX. Addit ad 4. *Recta intentio ad finem vltimum determinatè perducens, non potest esse sine fide; sed tamen finis vltimus, scilicet ipse Deus potest esse in intentione etiam eius, qui fidem non habet, per generalem, vel naturalem cognitionem de Deo. Vnde etiam qui fidem non habet, potest se ad fidem habendam, & ad gratiam præparare, si secundum suam cognitionem ei peccatum displiceat, & in Deum affectus eius feratur.* Ecce ex S. Thoma non tantum peccator Christianus debet in præparatione, quam ponit ad recipiendum sacramentum pænitentiæ, sed etiam infidelis præparans se ad baptismum, debet non solum dolere de peccato, sed etiam affectu ferri in Deum. Ne tamen cespites, quasi Angeli-

licus naturalem cognitionem, & ex ea consequentem affectum voluerit præparare hominē ad gratiam, explicat se, quid intellexerit nomine naturalium in sequenti quæstionę 2. a. 1. quęstiunculæ 3. in argumento secundo. Sed contra dicens: *Naturale dicitur, quod est ante gratiam* (gratum facientem) *& sic attritio inter naturalia computatur.*

LXI. Consonat Alensis 4. p. quæst. 17. membr. 5. a. 2. his verbis: *Secundum legem communem, iustificationem præcedit præparatio nostra, quæ insinuatur Zach. 1. dum dicitur:* Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos. *In præparatione requiritur ex parte Dei gratia gratis data, ex parte nostra dolor attritionis.* Ecce quod attritio præparatiua impij, debet conuertere cor hominis ad Deum. Et explicans, quæ requirantur ad consummatam iustificationem, addit: *Ad hoc vt sit solutio à cul-*

pa, & à pęna, requiritur triplex dolor, scilicet ; iustificationem antecedens, coęxistens, & subsequẽs. Primus dolor est attritionis : secundus est dolor contritionis sacramentalis: tertius est dolor contritionis satisfactorius. Ex quibus apparet per Alensem præcedere attritionem, quę tamen in sacramento non sit vltima dispositio ad gratiam, quia præcedit, non coæxistit gratiæ : huic enim coæxistit contritio sacramentalis; & sic contritio vtpote coęxistens formæ erit vltima dispositio ad formam, non attritio.

LXII. Eodem Zachariæ loco vtitur S. Bonauentura in 4. d. 17. par. 1. a. 2. quęst. 3. ad probandam necessitatem attritionis præparantis ad iustificationem ; qui quidem locus ex se satis clarè per conuersionem in Deum importat amorem Dei propter se dilecti; & nihilominus infra num. 106. habebis expressa verba

S. Tho-

S. Thomæ dicentis conuersionem in Deum à Zacharia insinuatam fieri per amorem.

LXIII. Est aliud argumentum, vndè mihi videor elicere, quod antiqui scholastici supposuerunt in attritione preparatiua ad gratiam, implicari aliquem amorem Dei propter se dilecti; etenim ipsi attritionem à contritione distinxerunt solum pænes hoc, quod attritio esset dolor informis; contritio verò dolor formatus gratia sanctificante, & charitate: *Meo iudicio*, inquit Albertus Magnus in 4. d.6. a. 8. *vnus, & idem dolor in substantia potest esse attritionis, & contritionis; sicut etiam fides informis potest fieri formata*. S. Bonauentura 4. d. 17.p.1.a.2 quęst.3. *Concedo, quod actus in principio sui est attritio, sed antequam interrumpatur, fit contritio; sicut patet de motu, quo quis vadit ad Ecclesiam, si infundatur ei gratia in via. Quod idem sensit*

Alensis par.4.quæst. 17. membr. 5. d. 1. & 4. S. Thomas de ver. quęst.28.a. 8. *Omnis dolor de peccato in habente gratiam est contritio.* Vnde in 4.d.17.quæst.2.a.1.quęstiuncula 3. ex eo solum capite negat attritionem fieri posse contritionem, quia vtraque est actus transiens; quare attritio, quæ pręcedit infusionem gratiæ, non potest coæxistere ipsi gratiæ, quæ infunditur.

LXVI. Eadem habet Scotus in 4.d.14.quæst.2.num.14. propè finem his verbis: *Idem motus, qui priùs fuit attritio, in illo instanti* (iustificationis) *fit contritio, quia in illo fit concomitans gratiæ, & ita actus formatus.* Et num.15. *Attritio fit contritio sine omni mutatione reali ipsius actus.* Quare Hiquæus in Commentario eiusdem quæstionis; hæc notat num. 115. *Contritio duobus modis sumitur, vno modo pro actu formato; & sic, quilibet dolor antecedens infusio-*

sionem gratiæ erit attritio; idemque continuatus infusà gratià, erit contritio. Et in hoc sensu frequens est vsus contritionis apud antiquos; & in eodem vsurpat Doctor noster in hac dist. quæst. 1. & 2.

LXV. Voluerunt insuper cõplures ex antiquis attritionem, & contritionem distingui solum penes imperfectum, & perfectum; quæ videtur fuisse, etiam sententia Guglielmi Parisiensis in opusc. de sacr. pæn. c. 6. vbi ait: *Attritio ad contritionem sic est, vt vulneratio non lethalis ad occisionem .... vt aratio, rigatio, seminatio ad viuificationem seminis, vt mollificatio ceræ ad eiusdem sugillationem. In omnibus enim præcedentibus, aut præparatoriis mollificatur cor humanum, vt ei se imprimat Christus Dominus*: Hanc porrò sententiam distinguentem attritionem à contritione pœnès imperfectum, & perfectum sustinet mordicus ex modernis Hiquæus super Scotum


tum in 4.d. 14. q.2. à num. 129. quam nititur firmare ex Scriptura, Concilijs, Patribus, & Scholasticis; proptereaque dicit attritionem oriri ex amore imperfecto Dei propter se dilecti; contritionem verò ex amore perfecto.

LXVI. In quorum Magistrorum multiplicibus testimonijs veniunt tria notanda: primò aliqui dicunt attritionem fieri posse contritionem, cui opinioni contradicunt alij: Secundo aliqui distinguunt attritionem à contritione, in eo, quod attritio non sit dolor adeò intensus, & perfectus, qualem exigit contritio: Et in his duobus dictis, vnusquisque teneat, quod probat vel probare sibi videtur, alius sic, alius autem sic. Mihi quidem ex Constitutionibus Religionis incumbit in Theologià sequi sententias S. Thomæ; cæterum quia finis in hac dissertatione propositus est probare necessitatem

amo-

amoris Dei propter se dilecti ad iustificationem in sacramentis mortuorum, saltarem extra chorum, si progrederer ad alia inquirenda, ex quorum enodatione non pendet ista necessitas; quare ijs omissis, noto tertiò, quod antiqui Scholastici, quanquam inter se diuisi fuerint in illis duobus, tamen in eo videntur conuenisse, quod aliquis amor Dei propter se dilecti implicatur in attritione necessariâ ad iustificationem, siue tandem hæc attritio fieri possit, vel non, contritio, & siue amor Dei ad attritionem, contritionemque requisitus distingui debeat pænes intensionem, vel remissionem; quare cum omnes conuenerint in asserenda hac necessitate amoris pro designanda attritione præuia ad iustificationem, ex eo, quod ijdem docuerint attritionem sufficere ad impetrandam gratiam in sacramentis mortuorum

rum, non modò non conuincitur Scholasticos antiquos sensisse, quod timor gehennæ sine vllo Dei amore iustificet, sed imò satis neruosè deducitur, aliquem Dei amorem propter se dilecti necessariò præexigi ad impetrandam gratiam in sacramentis mortuorum; quod est intentum meæ dissertationis.



CA-

CAPVT VII.

Amor concupiscentiæ Dei sine vllo amore Dei propter se dilecti, videtur non posse esse vltima dispositio ad impetrandam gratiam in sacramentis mortuorum.

LXVII. ASsertio hæc fulcitur ijsdem rationibus, quibus huc vsque probatum fuit timorem non vltimo disponere ad gratiam; etenim ostensum est, quod vltima dispositio ad formam, sit necessitas ad formam, quare si amor huiusmodi esset vltima dispositio ad gratiam, necessario inferret gratiam nec posset stare cum peccato mortali. Veniunt hic applicanda, quę fusius dixi de timore.

LXVIII. Vt vrgeatur secunda ratio, suppono doctrinam S. Thomæ ex 1. 2. quęst. 40. a. 1. vbi affert distinctionem desiderij. seù, quod idem est, amoris concupiscentię ab actu spei; & expres-

presſè docet circà idem obiectum eſſe poſſe deſiderium, & ſpem; ſi enim concupiſcatur aliquod bonum, & illud ſit arduum; ex tali deſiderio reſidente in concupiſcibili, inſurgit motus in iraſcibili poſterior, & perfectior deſiderio, vi cuius voluntas firmatur ad ſuperanda illa ardua, quæ circumſtant bonum deſideratum. Vnde apparet, quod circa bonum arduum, qualis eſt Deus, vt obiectum ęternę beatitudinis, poſt actum, quo homo ſibi complacet de Deo, qui actus ex S. Doctore iuxta dicta num. 31. eſt primus omnium actuum voluntatis, noſter appetitus elicit ſecundò per concupiſcibilem, actum deſiderij, quo ſibi deſiderat Deum: tertiò non obſtante arduitate illum conſequendi, ſurgit in iraſcibili motus ſpei, quo voluntatem firmat ad ſtudendum eius adeptioni. Hinc apparet, loquendo de bono arduo, quod amor concu-
pi-

piſcentiæ non ſolum non poteſt eſſe vltimus actus voluntatis tendentis circà tale bonum, ſed quod inſuper eſt prior ſpe; quæ ſequitur ad talem amorem, quare ſi ſpes non poteſt eſſe vltima diſpoſitio neceſſitans ad iuſtificationem, vt eſt de fide, cum ſtet in peccatore, multò minus poterit vltimò diſponere ad gratiam amor, qui ſpem antecedit.

LXIX. Tertiò idem oſtenditur ex doctrina S. Thomæ 4. d. 49. quæſt. 1. a. 2. quæſtiuncula 1. ad 3. vbi habet: *Duplex eſt diligibile: vnum, quod diligitur per modũ beneuolentiæ, quando volumus alicui bonũ propter ſe ipsũ. Aliud quod diligitur dilectione concupiſcentię quidquid diligitur dilectione concupiſcentiæ non poteſt eſſe vltimum dilectum, cum ad bonum alterius referatur, eius, ſcilicet, cui concupiſcitur. Beatitudo tamen eſt vltimum concupitum. Et ſi Deus concupiſcatur, tamen idem eſt concupiſce-*

ſcere Deum, & maximum bonorum, quod nobis ex Deo prouenit, ſicut idem eſt concupiſcere vinum, & effectum vini in nobis puta delectationem. Ex hac doctrina ſic arguo Quod concupiſcitur, etiamſi ſit vltimum concupitum, tamen non eſt vltimum dilectum, quia refertur ad bonum eius, cui concupiſcitur, quod quidem magis amatur, quia propter quod vnumquodque tale, & illud magis; cum ergo dicitur Deus amari concupiſcentiæ amore abſque vlla dilectione tendente in Deum propter ſe, aſſignandum eſt aliud obiectũ, quod amatur propter ſe amore beneuolentię, ratione cuius Deus concupiſcatur, & ſit vltimus finis hominis, magis amatus, quã ipſe Deus; quod ſi eſt ipſe homo iã homo magis amatur, quam Deus. An autem iuſtificari poſſit poſitiuè amans ſe ipsũ pluſquã Deum, ego fateor mihi non eſſe perceptibile.

LXX. Confirmatur hæc ratio

ex alia eiuſdem Angelici doctrina, qui in 3.d.34.q.2.a.1. quæſt. 1.ad 2. ait: *Deus eſt propter ſe ipſum, & non propter aliud diligendus*: quare 2.2.quęſt.19.a.4.ad 3. addit: *Amor mercenarius dicitur, qui Deum diligit propter bona temporalia; & ideò amor mercenarius ſemper eſt malus*. Idem ſentit S. Bonauentura 3.d.34. p.2. a. 1. q. 2.ad 5.addens, *qui diligit Deum propter temporalia, peccat, quia facit de via finem, & de fine viam, & duo ſunt ibi amata*. In quibus verbis duo Sancti Eccleſię Doctores exemplificant quidem de bonis temporalibus; cæterum ratio communis eſt ad quodcunque bonum creatum, etiam ad animam noſtram, adeò vt Deus non ſit diligendus principalitèr propter bonum animæ; alioqui fit de fine via, & de via finis. Imò S. Thomas magis enucleaturus hanc inordinationem diligendi Deum propter aliud, 2. 2. q. 27. a.3.

a.3.notat, *quod ly propter importat habitudinem alicuius causæ. Est autem quadruplex genus causæ, finalis, formalis, efficiens, & materialis, ad quam reducitur dispositio: secundum hæc quatuor genera causarum, dicitur aliquid propter alterum diligendum; secundum genus causæ finalis diligimus medicinam propter sanitatem: secundum genus causæ formalis, diligimus hominem propter virtutem, quia virtute formaliter est bonus: secundum causam efficientem, diligimus aliquos, quia sunt filij talis patris; secundum dispositionem diligimus aliquem propter beneficia suscepta, quæ nos disponunt ad eius dilectionem: quamuis postquam amare incæpimus, non propter illa amemus amicum, sed propter eius virtutem. Primis tribus modis Deum non diligimus propter aliud, sed propter se ipsum. Quarto modo potest diligi propter aliud, quia ex aliquibus alijs disponimur ad hoc, quod in Dei dilectione*

ne

ne proficiamus, puta propter beneficia suscepta, vel sperata, vel per pœnas, quas per ipsum vitare intendimus.

LXXI. In quo discursu Angelicus vtique ponit Deum à nobis amari posse per beneficia suscepta, vel præmia sperata, de quo non est dubium; quę verba ne essent occasio errandi in 3. d. 29. a. 4. explicuit, quid veniret per ly *propter præmia sperata*, nec enim vnquam S. Doctor intendit ita amari posse Deum propter præmia sperata, vt ista essent vltimus finis, nullusque amor beneuolentiæ in Deum intercederet; quo diligeretur propter se, sed voluit ita Deum amari propter præmia, vt pręmium speretur vt merces, & finis amoris, quo Deus amatur; non finis Dei amati, ita, scilicet, quod Deus referretur in hoc præmium, tanquam in finem vltimum: Do eius verba: *Merces, in quantum huiusmodi impor-*

portat aliquid referibile ad id, cui merces redditur; Mercedem enim aliquis amat propter se ipsum (non amat homo mercedem propter se ipsam, sed propter se ipsum.) *Vnde si aliquis amat aliquid extra se propter se ipsum, illud poterit dici merces, sed de ratione amicitiæ est, quod amicus sui gratia diligatur. Vnde amicus in amicitia propriè loquendo, non habet rationem mercedis, quamuis, quæ ex amico in nobis fiunt, rationem mercedis habere possint, sicut delectationes, & vtilitates, quas ex ipso amans consequitur, ratione quarum amicus dicitur merces quasi causaliter, sicuti Deus dicitur merces nostra, ratione eorum, quæ ex ipso in nobis sunt. Ponere mercedem aliquam finem amoris ex parte amati, est contra rationem amicitiæ, vnde charitas non potest per hunc modum habere oculum ad mercedem; Hoc enim esset non ponere Deum vltimum finem, sed bona, quæ ex ipso consequi-*

qui-

quimur, sed ponere mercedem esse finem amoris ex parte amantis (non tamen vltimum) non est contrà rationem amicitiæ.

LXXII. Ex his conijcitur amorem Dei, vt sit bonus, debere Deum respicere propter se, non propter aliud, ita quod Deus amatus referri non possit in hoc aliud, licet vtique amor ipse, quo Deum propter se amo, referre possim in mercedem, quam opto, & spero à Deo meæ dilectioni; sic omnis amor Dei, quantumcumque imperfectus, vt sit bonus, debet respicere Deum, non vt medium, sed vt finem. Peccator fidelis hoc ipso, quod fidem habet, in eà perseuerat, ex pià quadam affectione, quà Deo afficitur tanquam fonti veritatum reuelatarum; hæc pia affectio, seu amor Dei non habet iustificare, quia non diligit Deum tanquam omnis iustitiæ fontem, sed vnicè tan-

quam fontem veritatis reuelatæ, debet tamen respicere Deum propter se, quia hæc pia affectio pertinet ad fidem, quæ est virtus Theologica, & de ratione virtutis Theologicæ est, tendere in Deum propter se, seu, quod idem est, tanquam in finem, simul proximum, & simul vltimum. Pariter ex S. Thoma 2. 2. q. 17. a. 8. spes fundatur in quodam amore Dei, tanquam fontis mercedum à Deo amanti in præmium amoris promissarum. Hic amor etiam in peccatore residens, vt sit verus amor præuius ad spem Theologicam, debet etiam ipse Deum respicere propter se, adeo vt homo non possit sibi constituere Deum tanquam medium ordinatum ad alium finem vlteriorem. Quod si hoc verificatur de amore Dei existente in peccatore per solam fidem, & spem respiciente Deum, quantò magis verificari debebit de amore Dei fontis omnis iu-

ſtitiæ non modò amore perfecto, quo verus Chriſtianus heroicè Deum proteſtatur amare, etiamſi nullam vellet ſibi impertiri mercedem ſui amoris, ſed etiam de illo amore imperfecto, quo alius verus Chriſtianus, at non adeò ſublimis virtutis, tendit in Deum duplici oculo, altero, quia eſt in ſe bonus, altero, quia eſt ſibi bonus, & dabit mercedem amori, quo ipſe Deum amat? Certè mihi videtur, quod ſicuti primi amores non poſſunt conſtituere Deum, in ordine ad alium finem ipſius Dei; ita neque hic ſecundus, qui ſolùm debeat eſſe contentus ponere alium finem amori, quo Deum ipſe amat, non Deo à ſe amato.

LXXIII. Contra dicta poteſt obijci, quia Auguſtinus tr. 9. in ep. Ioannis, amorem quo deſideramus à Deo bona, dicit ſpectare ad timorem caſtum, ita differens: *Cum bona deſiderare cæperis, erit*

in te timor castus? Quis timor castus? Ne amittas ipsa bona: Aliud est timere Deum, ne mittat te in gehennam: aliud est timere Deum, ne recedat à te: Timor, quo times, ne in ignem mittaris, non est castus. Cum times Deum, ne deserat præsentia eius: amplecteris eum: ipso frui desideras.

Vtinam quem sibi Augustinum eligunt aduersarij Aduocatum, constituere sibi eligerent Iudicem in hac tota quęstione de necessitate amoris Dei, finità iam esset omnis disceptatio, quando S. Doctor expressissimè, & constantissimè semper tenuit iustificationem fieri debere per amorem Dei propter se dilecti; quidquid tamen sit de hoc, suscipio Augustinum, à quo nec latum vnguem cupio recedere, cum admitto, quod timoris casti est à Deo sperare bona ęterna, & timere, ne amittantur, ne recedat à nobis, ne nos eius pręsentia de-

deserat, desiderare amplecti illum, ipso frui; & si quis accedat ad sacramenta mortuorum cum hoc desiderio Deum videndi post hanc vitam, vt obiectum ęternæ beatitudinis, habeatque alia ad veram contritionem requisita à Concilio Tridentino sess.14. c.4. dico, quod hic verè iustificatur. Aliud enim est dicere, quod bonus sit amor, quo, homo sibi Deum concupiscit: aliud est dicere, quod bonus sit amor, quo ita Deum concupiscit, vt Deum non amet propter se, sed vnicè propter bonum amantis. *Vera amicitia*, ait Sanctus Thomas In 3. d. 27. quęst. 2. a. 1. ad 11. *desiderat videre amicum, & mutuis colloquijs gaudere facit*; imò quo magis crescit amicitia, & charitas in Deum, eo magis crescit amor, & desiderium videndi Deum, eoque fruendi, sed fruendi, non vtendi: fruitio autem est de fine; quod

idem importatur, dum dicitur desiderari Deum, vt obiectum æternę beatitudinis; obiectum enim est finis, & obiectum ęternæ beatitudinis est finis vltimus; vndè & Sanctus Thomas 2. 2. quæst. 28. a. 4. addit: *Idem est habitus, qui inclinat ad diligendum, & ad desiderandum bonum dilectum, & ad gaudendum de Deo, & dicitur charitas*; quare cum charitas Deum respiciat propter se, etiam desiderium fruendi Deo, in æterna beatitudine, respicit Deum propter se; & est implicantia in adiecto dicere, quod homo amet videre Deum in patria amore concupiscentię, & nullo modo, dum desiderat, amet propter se; Et dum dicitur hominem iustificari per amorem concupiscentiæ in Deum, quo ametur, vt obiectum ęternæ beatitudinis absque vllo modo, per quem Deus respiciatur pro-

vsque

pter se, fingitur nouus amor concupiscentiæ; incognitus huc vsque, quandoquidem ille, quo ex legis Euangelicæ dictamine procedit, habet quidem oculum ad mercedem æternam retribuendam amori; sed cum hoc habet etiam tendere in Deum propter se, & vt finem vltimum.



CAPVT VIII.

Afferuntur loca Scripturæ, ex quibus videtur elici pænitentiam, qua homo impius iustificatur, elici debere ex amore Dei propter se dilecti.

LXXIV. CVM pęnitentiæ Scriptura meminerit primò per conuersionem, videtur ad illam exigere, quod homo conuertatur ad Dominum. Eccles. 17. *Conuertere ad Dominum, & relinque peccata tua. Reuertere ad Dominum.* Os. 14. *Conuertere Israel ad Dominum Deum tuum. Conuertimini ad Dominum: & dicite ei: Omnem aufer iniquitatem* Ioel. 2. *Conuertimini ad me in toto corde vestro, & scindite corda vestra, & non vestimenta vestra, & conuertimini ad Dominum Deum vestrum*. Quid autem importet hæc conuersio hominis ad Deum, quam-

quamuis per se pateat, nihilominùs otiosum non erit intelligere ex S. Thoma quæst. 28. de ver. a. 2. vbi ait: *Mens humana aliquo modo tangit Deum, eum cognoscendo, vel amando. Vnde in adultis qui possunt Deum cognoscere, & amare, requiritur aliquis vsus liberi arbitrij quo Deum cognoscant, & ament, & ista est conuersio ad Deum, de qua dicitur Zach.* 1. Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos. *Pueri autem carentes vsu liberi arbitrij, non possunt Deum cognoscere, & amare. Vnde in eis sufficit ad iustificationem, quod ab eo tangantur per gratiæ infusionem.*

LXXV. Secundò: *pænitentiam in salutem stabilem operatur* ex Apostolo 2. Cor. 7. illa *tristitia, quæ secundum Deum est*. Cuius Apostolici textus intelligentia per se nota, magis patebit ex doctrina Cathechismi Romani par. 2. c. 5. num. 2. vbi dicitur: *Do-*

cendum est multiplicem esse nominis (Pænitentiæ) *significationem*. *Primum enim pænitentia de ijs dicitur, quibus aliquid displicet, quod ante placuerit, nulla habita ratione huius cogitationis, bonumne, an malum fuerit: Sic omnes pænitet, quorum tristitia secundum sæculum est, non secundum Deum; eiusmodi pænitentia non salutem affert, sed mortem. Altera est pænitentia, cum quis ex scelere admisso, quod quidem ante à placebat, dolorem, non Dei, sed sui ipsius causa concipit. Tertia est, cum non solum admissi sceleris causa intimo animi sensu dolemus, vel eius doloris externum etiam aliquod signum damus, verum vnius Dei causa in eo mærore sumus*. Et num. 4. *Inter has pænitentiæ significationes magnum discrimen obseruare oportet. Prima enim in vitio ponenda est: altera est quædam commoti, & perturbati animi affectio: tertiam tum ad virtutem pertinere, tum sacramentum esse dicimus*. Ex qui-

quibus apparet, quod triſtitia, quæ in ſalutem ſtabilem operatur pænitentiam, ſiue vt virtus eſt, ſiue vt ſacramentum eſt, debet eſſe mæror ſuſceptus de peccatis vnius Dei cauſa, qui, ſcilicet, ſit finis, ob quem dolemus. Propterea teſtabatur Apoſtolus Act. 20. Iudæis, atque Gentilibus in Deum pænitentiam, quia cognoſcebat, quæ ſalutem operatur triſtitia de peccato, debere eſſe ſecundum Deum, reſpiciens vnicè in Deum.

LXXVI. Tertiò: Scriptura nos ad pænitentiam prouocans, expreſſit, quod inter alia, exigeret pænitentia nouitatem vitæ. Ezech. 18. *Proijcite à vobis iniquitates veſtras, in quibus præuaricati eſtis, & facite vobis cor nouum, & ſpiritum nouum*. Ad Gal. 6. *In Chriſto Ieſu neque circumciſio aliquid valet, neque præputium, ſed noua creatura* Epheſ. 4. *Renouamini ſpiritu mentis veſtræ, & induite nouum hominem, qui ſecundum*

Deum creatus est in iustitia, & sanctitate veritatis: Colofs. 3. *Expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, & induentes nouum*. Hæbr. 10. *Initiauit nobis viam nouam, & viuentem per velamen, idest, carnem suam*. Hæc vitæ nouitas necessaria est homini volenti Deo reconciliari per contritionem charitate perfectam ante susceptionem actualem sacramenti, sed etiam se reconcilianti per Sacramentum actu susceptum: quare Tridentina Synodus sess. 14. c. 4. declarat, *contritionem ita demum præparare ad remissionem peccatorum, si cum fiducia diuinæ misericordiæ, & voto præstandi reliqua, necessaria ad ritè suscipiendū hoc sacramentum, sit coniuncta*. Additque *continere cessationem à peccato, vitæ nouæ propositum, & inchoationem*. In quibus verbis noto Patres illos exegisse ad veram pænitentiam non modò propositum nouę vitę, sed & inchoationem,

nem, vnde apparet nouam hanc vitam non incipere ab aliquo externo, ſed ab actu interiori noſtræ voluntatis; etenim Eccleſiæ communis ſenſus habet nihil externum ita neceſſariò requiri ad pænitentiam, vt aliquando non poſſit homo pænitere per ſolum propoſitum recipiendi illud externum, vt videre eſt in ipſo baptiſmo fluminis aliàs neceſſario neceſſitate medij ad ſalutem; quare ſi non ſolum voluit vitæ nouę propoſitum; verùm etiam inchoationem, neceſſe eſt dicere, quod inchoatio nouę vitæ habeatur per internum actum voluntatis.

LXXVII. Hanc autem renouationem vitæ agnouit Sancta Synodus neceſſariam non modò in ſacramento pænitentię, verum etiam in baptiſmo; quare ſeſs. 6. c. 3. ait: *niſi in Chriſto renaſcerentur, nunquam renaſcerentur cum eà renaſcentià per meritum paſſionis eius gra-*

gratia, quà iusti fiunt, illis tribuatur. Et c. 6. *Disponuntur ad iustitiam, dum peccatores se esse intelligentes, proponunt suscipere baptismum, inchoare nouam vitam, & seruare mandata diuina* quorum primum & maximum est *diliges Dominu m Deum tuum*.

LXXVIII. Cathechismus Romanus p. 3. c. 5. n. 32. idem docet, & magis explicat, quid importet hoc noue vitæ propositum verbis subsequentibus. *Tertium* contritioni necessarium est, *vt pænitens vitæ emendandæ certam, & stabilem cogitationem suscipiat; hoc verò Propheta apertè nos docuit his verbis*. Si impius egerit pænitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit iudicium & iustitiam, vita viuet, & non morietur: omnium iniquitatum eius, quas operatus est non recordabor *Ezech.* 18. *& paulò post*: Cum auerterit se impius ab impie-

pietate sua, quam operatus est, & fecerit iudicium, & iustitiam, ipse animam suam viuificabit, & *paucis interiectis*, conuertimini, *inquit*, & agite pænitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis in ruinam. Et nu. 33. *Natura quoque ipsa, & ratio ostendunt, necessarium esse propositum, cautionemque, ne quid eiusmodi in posterũ committatur...quod obedientiam adiunctam habeat, necesse est: hominem enim legi, siue naturali, siue diuinæ, siue humanæ quibus subiectus est parere conuenit.*

LXXIX. Paria loquitur de baptismo c.2.n.38. *Qui baptizandi sunt, opus est, vt baptismum velint suscipere, nam cum vnusquisque in baptismo peccato moriatur, & nouam vitæ rationem suscipiat, æquum est non inuito cuipiam, aut recusanti, sed illi tantum, qui libenti animo, & spontè sua accipiunt, baptismum præberi*. Vides proposi-

tum

tum baptiſmi eſſe propoſitum nouæ vitæ, quia eſt propoſitum eius diſciplinę quam ſuſcipit. Et num. 40. *eſt baptiſmus ob eam rem expetendus, vt Chriſtum induamus, & cum eo coniungamur. Quamobrem Princeps Apoſtolorum magnæ illi hominum multitudini, qui, vt ait Scriptura Act. 2. compuncti corde, ab eo, & reliquis Apoſtolis, quid ſibi faciendum eſſet, quaſiuerant, ita reſpondit:* P*nitentiam agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrum. *Et Act.* 3. Pęnitemini, *inquit*, & conuertimini vt deleantur peccata veſtra. Item B. Paulus *Ro.6.* nos monet ne exhibeamus membra noſtra arma iniquitatis peccato, ſed exhibeamus nos Deo tanquam ex mortuis viuentes. Et num. 52. loquens de effectibus baptiſmi docet hoc in nobis inter alia effici per baptiſmum, quod *Chriſto Capiti tanquam membra copulamur, & connectimur:* quare *ex Chriſti Domini plenitudi-*

ne

ne, in omnes qui iustificantur, diuina virtus, & gratia diffunditur, quæ nos ad omnia Christianæ pietatis officia habiles reddit.

LXXX. Hæc omnia paulò fusius retuli, non quia crederem necessaria ad ostendendum veram pęnitentiam coniungi debere noue vitę proposito; de hoc enim nemo dubitat; neque Nouatores ipsi volentes pęnitentiam consistere in nouę vitæ proposito, & inchoatione; quare contra illos directè Tridentinum statuit sess. 14. c. 4. *contritionem non esse solum cessationem à peccato, & nouæ vitæ propositum, sed &c.* Attuli, quia non obscurè ex illis elici potest, quid importet propositum huius nouæ vitæ. Quod clariùs apparebit ex sequentibus.

LXXXI. Ezech. 11. promittit Deus se daturum hunc spiritum nouum, quem in suis visceribus petebat innouari Dauid Ps. 50. & promisit illis verbis: *Spiritum*

nouum

nouum tribuam in visceribus eorum, & auferam cor lapideum de carne eorum, & dabo eis cor carneum; subsequenter autem explicaturus Spiritus Sanctus, quid veniat nomine noui spiritus promissi, & nomine cordis carnei, immediatè subdit: *Vt in præceptis meis ambulent, & iudicia mea custodiant faciantque ea: & sint mihi in populum, & ego sim eis in Deum.* Idem eisdem ferè verbis repetit Ezech. 36.

LXXXII. Similiter Apostolus, Col. 3. vbi hortans ad pænitentiam dixit per illam expoliandum veterem hominem cum actibus suis, & induendum nouum, vt explicet, quis sit iste nouus homo induendus, addit esse. *Eum qui renouatur in agnitionem, secundum imaginem eius, qui creauit illum, vbi non est Gentilis, & Iudæus, circumcisio, & preputium, Barbarus, & Scytha, seruus, & liber, sed omnia, & in omnibus Christus.*

ſtus, adeò vt *induenda ſint viſcera miſericordiæ, benignitatis, humilitatis, modeſtiæ, patientiæ, ſuper omnia autem hæc charitas, quod eſt vinculum perfectionis*; quare propoſitum noui hominis, nouæ vitæ, noui ſpiritus, quod propoſitum eſt neceſſarium, vt quis iuſtificetur etiam per ſacramenta, nihil eſt aliud, quam propoſitum ſeruandi mandata Dei, & præcipuè propoſitum diligendi Deum, propoſitum volendi quod Chriſtus ſit omnis ſua operatio, & in omnibus ſuis operationibus ſit Chriſtus, propoſitum habendi omnes virtutes ab Apoſtolo commendatas, ſuper omnia autem habendi charitatem, quę eſt vinculum perfectionis; Et clariùs 1. Timot. 1. quæ eſt finis præcepti. *Propoſitum autem*, ait S. Thomas 2.2. quæſt. 88. a. 1. *eſt actus voluntatis deliberatæ*, imo vt docet in 1. d. 40. quęſt. 2. ad 2. *non nominat ſimpliciter actum voluntatis, ſed præ-*

præsupponit actum cognitionis ostendentis finem, in quem voluntas tendit: quare impius volens iustificari, debet primò cognoscere tanquam finem, iustificationem ipsam, Christum ipsum, charitatem ipsam, Deum ipsum; & deinde habere circa hunc finem actum voluntatis deliberatæ. Debes autem meminisse ex eodem adducto suprà primum omnium actuum voluntatis esse amorem, vt propterea propositum, quod est actus voluntatis deliberatæ tendentis in finem, debeat respicere, & amare Deum tanquam finem.

LXXXIII. Vlteriùs videamus, quid in particulari sit propositum nouæ vitæ tam frequenter inculcatum peccatoribus, vt iustificentur, adeò vt neque Nouatores ipsi fuerint ausi illud excludere à ratione pænitentiæ: nobis id explicat Apostolus 2. Cor. 5. dicens in eo situm esse, *vt qui*

viuunt,

viuunt, iam non ſibi viuant, ſed ei, qui pro ipſis mortuus eſt, & reſurrexit. Apparet ex ipſis terminis viuere non ſibi, ſed Chriſto, eſſe non habere ſe ipſum vt finem ſuarum operationum, ſed Chriſtum: ſed quia ſumus in re adeò graui, non erit ingratum illud firmare authoritate Præceptoris Angelici, qui pluries explicat, quid ſit alicui viuere: nonnulla nobis teſtimonia ſufficient de eius mente: Igitur 1.p. quęſt. 18. a.2.ad 2. *Operatio quæ eſt homini delectabilis, & ad quam inclinatur, & in qua conuerſatur, & ordinet vitam ſuam ad ipſam, dicitur vita hominis. Vnde quidam dicuntur agere vitam luxurioſam, quidam vitam honeſtam*, quare impius volens iuſtificari, dum dicitur habere propoſitum nouę vitæ in Chriſto, intelligendus eſt habere actum voluntatis deliberatę, quo proponat velle delectari in operationibus Chriſtianis, quarum prima,

& maxima eſt charitas, velle in charitatem inclinari, velle in ea conuerſari, ad eam ordinare vitam ſuam; cumque ordo ſit in finem, & delectatio de fine, à primo ad vltimum apparet, quod proponens nouam vitam in Christo, ſibi ſtatuit pro fine quo, charitatem, & pro fine cui, Deum, qui eſt obiectum charitatis.

LXXXIV. Veniunt etiam conſideranda, quæ habet S. Doctor in 3.d.35.a.1.c. ſub his verbis: *Nomen vitæ ſumptum videtur ex hoc, quod aliquid poteſt à ſe ipſo moueri. Et ideo aliqua primò dicta ſunt viuere, quia viſa ſunt à ſe ipſis moueri. Et per quandam transſumptionem ea, quorum principium motus in ipſis eſt, dicuntur viuentia, quamuis non ſe ipſa moueant. Vlterius nomen vitæ attributum eſt omnibus operationibus, quæ aliquis à ſe ipſo exercet, non ab alio motus, etiamſi motus non ſint. Et ſecundum hoc dicuntur viuere, omnia,*

nia, quę ex se ipsis appetunt, sentiunt, & intelligunt. Hæ enim dicuntur operationes vitæ: quamuis autem plures dictarum operationum in aliquo sint, ex illà tamen dicitur vita eius, quæ principalis in ipso est. Et hoc non solum accipiendum est secundum naturales potentias, sed etiam secundum habitus superadditos, vnde vita vniuscuiusque hominis dicitur in hoc consistere, in quo summum studium impendit, & curam, vt dicit Philosophus in 9. Ethic. Cum igitur vita dicatur operatio, quæ principalis est in homine, & in quà summum studium homo impendit, & curam; nouæ, seù Christianę vitę propositum assumendum à peccatore, quo iustificetur per Sacramenta, nihil aliud erit, quam actus voluntatis deliberantis principalem sibi futuram operationem Christianam, in quà sit impensurus summum studium, & summam curam: operatio autem vitę Chri-

stia-

stianæ est maximè circà finem Christianis præceptum, nempè circà charitatem, eiusque obiectum: quare vt proponat impius nouam vitam, debet habere actũ voluntatis deliberatæ circà hanc operationem Christianam habendi charitatem, & respiciendi Deũ tanquam finem vltimum omnium suarum operationum.

LXXXV. Sed iam audiatur idem in particulari exprimens, quid sibi velit Apostolus, dum ait homini Christiano esse viuendum Christo, & in Christo, lect. 6. in 2. ad Gal. super illa verba *Viuit verò in me Christus*: *Homo* ait, *quantum ad illud dicitur viuere, in quo principaliter firmat suum affectum, & in quo maximè delectatur: Vnde & homines, qui in studio, seu in venationibus maximè delectantur, dicunt hoc eorum vitam esse; quilibet autem homo habet quendam priuatum affectum, quo quærit, quod suum est, ergo dum*

al-

aliquis viuit, quærens tantum, quod suum est, soli sibi viuit: dum verò quærit bona aliorum, dicitur illis viuere; quia ergo Apostolus proprium affectum deposuerat per crucem Christi, dicebat se mortuum proprio affectui, dicens Christo confixus sum crucis, *idest per crucem Christi remotus est à me proprius affectus, siue priuatus. Vnde infra dicebat* Mihi absit gloriari, nisi in Cruce Domini Nostri.

LXXXVI. Et Glossans illud Apostoli, super quo fundaui meũ dictum lect. 3. in 2. Cor. c. 5. ait: Vt & qui viuunt *vita scilicet naturali*, *iam* non sibi viuant, *idest* propter se ipsos, & propter bonum suum tantùm, sed ei, qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit, *scilicet Christo, idest totam vitam suam ordinent ad seruitium, & honorem Christi Gal.* 2. Viuo ego iam non ego. *Ecclesi.* 29. Gratiam fideiussoris tui, ne obliuiscaris. *Et horum ratio est, quia vnusquisque*

 ope-

operans sumit regulam operis sui à fine. Vnde si Christus est finis vitæ nostræ, vitã nostram debemus regulare, non secundum voluntatem nostram, sed secundum voluntatem Christi. Sic enim & Christus dicebat Io. 6. Descendi de Cælo, non vt faciam voluntatem meam. *Nota autem, quod duo dicit, scilicet, quod mortuus est Christus, & quod resurrexit pro nobis, vbi duo exiguntur à nobis, Quia enim Christus mortuus est pro nobis, & nos debemus mori nobis ipsis, idest pro ipso abnegare nos ipsos; vnde dicebat Luc. 9.* Qui vult venire post me, abneget semetipsum, *quod idem est, ac si diceret, moriantur sibi ipsis. Quia vero Christus resurrexit pro nobis, & nos debemus mori peccato, & veteri vitæ, & nobis ipsis; quod tamen resurgamus ad nouam vitam Christi Ro. 6.* Quomodo Christus resurrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate &c. *Et propter hoc Dominus non dixit solum*

lum abneget semet ipsum , & tollat crucem suam, sed addidit , & sequatur me, scilicet in nouitate vitæ proficiendo in virtutibus Ps. 83. Ibunt de virtute in virtutem . Cum igitur propositum nouæ vitæ sit propositum habendi pro fine Christum, propositum regulandi nos iuxtà voluntatem Dei, propositum resurgendi ad nouam vitam in Christo, propositum proficiendi in virtutibus Christianis , pręsertim in charitate, apparet hoc propositum importare in se amorem Christi, vt finis, amorem habendi pro fine, & regula voluntatem patris , & amorem virtutum Christianarum , pręcipuè charitatis .

LXXXVII. Accedat Augustinus loquens de cathecumenis in lib. de cant. nou. & reditu ad patriam, in cuius cap. i. ait. *Omnis qui baptismum Christi desiderat, vitam nouam concupiscit. Transeat ergo à vetustate , vt perueniat*

ad nouitatem . . . Nobis prædicatur vetera transierunt, ecce facta sunt noua. Quæ noua? quod efficimini filij Dei . . . succedit Hierusalem ciuitas cælestis nouitatis . Ad hanc peruenire cupitis, qui nomina vestra conscribenda dedistis. Et c. 3. *Tu, qui ambulare desideras, doma carnē tuam, & ambula. Ambulas enim, si amas: non enim ad Deum gressibus, sed affectibus currimus*. Sed esset necessarium penè totum Augustinum conscribere, si vellem adducere omnia quæ habet circa hanc nouitatem vitæ à peccatore pro impetranda iustificatione proponendam, & ex quibus apparet tale propositum dicere desiderium imitandi Christum, illum habendi pro fine; Nota tamen particulariter illa verba *omnis qui baptismum desiderat, nouitatem vitæ desiderat*, vnde habes desiderantem baptismum, quem cognoscit ad quid sit institutus, desiderare nouitatem vitæ, vndè,

&

& verè desiderat habere Christum pro fine suæ vitæ, ipsumque hoc ipso, quod baptismum desiderat, proponit sibi vt regulam ad cuius amussim se componat; vt propterea etiam peccator Christianus, qui recta intentione desiderat sacramentum pęnitentiæ, dicendus sit desiderare nouam vitam, & per consequens implicitè desiderare quidquid requiritur ad nouam vitam, & eodem ordine, quo requiritur; cumque noua vita importet, vt Deus sit finis omnium actionum hominis, desiderans recta intentione sacramentum pęnitentiæ desiderat habere Deum pro fine suorum opernm.

tim Theologię Scholasticæ Principem Angelicum Præceptorem, vbi scientificè, & in vniuersali tradebat dispositiones necessarias ad impetrandam gratiam, deflexisse ab vniuersali doctrina, & ordinario modo iustificationis, qui habetur per sacramenta Baptismi, & Pænitentię ad extraordinarinm, rarò ac per accidens contingentem iustificationis per contritionem charitate perfectam; quando id contrariatur ordini scientifico, à Scholasticis constantissimè retento, vt conijcere licet ex doctrinà aliorum sacramentorum Extremę Vnctionis, Eucharistiæ &c. Hæc vtique per accidens aliquando possunt conferre primam gratiam, non tamen scientificè procederet, qui in vniuersali, & absolutè quærens virtutem huiusmodi sacramentorum diceret ab illis causari primam gratiam, volens intelligi de illo casu extraordinario, & rarò contin-

tingente, nec vnquam explicaret secundam gratiam, quam apta nata sunt conferre, quod vitium vt Scholastici euitarent, dixerunt eorum effectum esse secundam gratiam, & de primà extraordinariè per illa producibili locuti sunt ad dandam notitiam perfectam Theologicæ veritatis; quare pariformiter defecissent, si tractando in vniuersali, & absolutè modum iustificationis, dixissent ad eam requiri motum amoris in Deum, volentes intelligi de iustificatione extraordinariâ, per accidens, & raró contingente extrà sacramenta, & de eà, quę ordinariè fit per sacramenta, ne vnum quidem verbum fecissent tractantes modum iustificationis, vndè appareret eam haberi sine vllo Dei amore propter se dilecti. Hoc sanè argumento mihi efficacissimo conuictus credo Scholasticos in omni iustificatione voluisse Dei amorem, sufficienterque pro-

bari ex eorum vniuersali doctrina de modo, & ordine iustificationis; eamque in meæ sententiæ confirmationem adduco.

LXXXIX. Et primò S. Thomas ex 1. 2. quæst. 113. a. 3. vbi quærens, an ad iustificationem impij requiratur motus liberi arbitrij ait: *Iustificatio impij fit Deo mouente hominem ad iustitiam: ipse enim est, qui iustificat impium, vt dicitur Ro. 3. Deus autem mouet omnia secundum modum vniuscuiusque; sicut in naturalibus videmus, quod aliter mouentur ab ipso grauia & aliter leuia propter diuersam naturam vtriusque Homo autem secundum propriam naturam habet, quod sit liberi arbitrij, & ideò in eo, qui habet vsum liberi arbitrij, non fit motio à Deo ad iustitiam absque motu liberi arbitrij, sed ita infundit donum gratiæ iustificantis, quod etiam simul cum hoc mouet liberum arbitrium ad donum gratiæ acceptandum in his, qui sunt huius mo-*

motionis capaces. Vnde ad 1. affert disparitatem inter pueros, & adultos, quia illi non capaces motus liberi arbitrij, mouentur ad iustitiam per solam animæ informationem. *Sed si quis aliquando habuerit vsum rationis, & postmodum eo careat, vel per infirmitatem vel per somnum, non consequitur gratiam iustificantem per baptismū exteriùs adhibitum, vel per aliquod aliud sacramentum, nisi prius habuerit sacramentum in proposito, quod sine vsu liberi arbitrij non contingit. Et hoc modo ille, de quo loquitur Augustinus 4. Conf. renatus fuit, quia & priùs, & postea baptismum acceptauit.*

XC. In quibus verbis tria veniunt notanda: primò, quod S. Thomas impium dicit moueri à Deo ad acceptandum gratiæ donum, ita vt hęc acceptatio voluntaria gratię sit in eodem instanti, quo gratia infunditur; causata ab ipso Deo; vndè hæc acceptatio est

dicenda vltima diſpoſitio ad gratiam, quia iuxtà ſententiam S. Thomæ ponentis mutuam cauſalitatem inter formam,& vltimam diſpoſitionem ad formam,hęc acceptatio eſt à Deo eiuſq; gratia, illam efficientèr cauſante,& ſimul ipſa cauſat gratiam in genere cauſę materialis, quia diſponit ad gratiam. Secundò S. Thomas vult moueri ad acceptationem, eos, qui ſunt talis motionis capaces; quid autem intelligat nomine capacitatis, an ſolam naturalem, an verò capacitatem proximam, quæ habetur per antecedentia gratiæ deſideria, iudicent alij. Ego quidem exiſtimarem intelligendum Angelicum in iuſtificationibus ordinarijs, non prodigioſis,procedentibus de imperfecto ad perfectum, accendi hominem ad deſideria, quę ſunt amor imperfectus gratiæ, quò tandem perueniat ad vltimum perfectum, qui eſt libera accepta-

tio

tio gratię. Tertio S. Thomas hic loquitur de iustificatione per sacramenta, vt ex verbis ad 1. apparet; & etiam ad istam dicit non sufficere, quod quis timore gehennę desistat a malo, & ex hoc vnico motiuo accedat ad sacramenta, sed vlterius requiri, quòd habeat sacramentum in proposito. Hoc autem quod est habere sacramentum in proposito, dupliciter potest intelligi, vel quod intendat solum sacramentum, sine re sacramenti, vel quod intendat totum, quod importat sacramentum, scilicet, & sacramentum, & rem sacramenti, quæ res sacramenti dicit gratiam, & quidem requiri propositum circa rem sacramenti saltem in confuso, probabo infrà. cæterum rei propositum in hoc loco fuisse intentum à S. Thoma clare conuincitur; nàm expresse voluit motum liberi arbitrij, quo homo acceptat gratiam, quę est res sacramẽti.

XCI. Eadem docet in 4. d. 17. in cuius a. 3. quæsierat de præparatorijs ad gratiam, inter quæ venit attritio, respiciens Deũ, vt apparet ex verbis adductis nu. 59. Et in a. 4. quęstiuncula 2. quærens de motu liberi arbitrij necessario in ipsa iustificatione dicit quosdam concedere, *quod iustificationem præcedat motus liberi arbitrij in Deum, qui sit motus fidei informis, non formatæ, & motus liberi arbitrij in peccatum, qui sit motus attritionis, non contritionis. Sed hoc,* addit, *non potest esse, quia in ipso motu contritionis iustificatur penitens, sicut in ipso actu ablutionis baptismalis iustificatur puer baptizatus. Tunc autem aliquis iustificatur, quando gratiã recipit, vndè simul cum gratiæ infusione, & iustificatione est motus contritionis, sed motus attritionis præcedit quasi præparatorius. nos autẽ nunc non loquimur de præcedentibus ad iustificationem, sed de his, quæ intrant*

sub-

substantiam ipsius. Et ideo dicendum, quod aliquo modo gratiæ infusio, & culpæ remissio præcedunt: aliquo autem modo prædicti motus: quod patet ex simili in generatione naturali. In eodem enim instanti terminatur alteratio ad dispositionem, quæ est necessitas, & generatio ad formam, & tamen secundum ordinem naturæ vtrumque est prius altero aliquo modo, quia dispositio, quę est necessitas, præcedit formam secundum ordinem causæ materialis, sed forma est prior secundum ordinem causæ formalis, & secundum hunc modum illa qualitas consummata est etiam formalis effectus formæ substantialis, secundum quod forma substantialis est causa formalis formarum accidentalium. Et ideo cum isti motus, qui sunt in ipsa iustificatione impij, sint quasi dispositio vltima ad gratiæ susceptionem suo modo, pracedunt quidem in via causæ materialis, sed sequuntur in via causę formalis. Et ideò nihil

hil probibet eos esse formatos, quia ad rationam, & perfectionem esse formalis pertinent: sicut qualitates, quæ introducuntur simul cum forma substantiali quodammodò formantur per formam substantialem. Et sicut qualitas prædicta ante sui consummationem, & formæ introductionem non erat fonmata, sed informis, ita etiam est de motu liberi arbitrij, si tamen continuatus in fine perficiatur per gratiæ infusionem.

XCII. Hic etiam S. Thomas loquens de iustificatione in genere includit iustificationem per sacramenta; tùm quia vt notaui nu. 12. distinctio 17. est tota de pænitentia, prout est sacramentum; tum quia affert, & impugnat sententiam dicentium motus liberi arbitrij preuios ad iustificationem esse fidem, & attritionem; nemo autem est, qui senserit solà attritione iustificari hominem extra sacramenta. Ad hanc autem sacra-

cra-

cramentalem iustificationem dixit priùs tempore præparari hominem per attritionem, quæ propterea quia prior tempore, non intrat substantiam iustificationis. Nomine cuius substantiæ intelligit motus necessarios in ipso instanti iustificationis; at vnum ex istis dicit esse motum contritionis, non attritionis: quare nomine contritionis non intelligit contritionem in genere prout etiam includit attritionem, quam expresse S. Doctor excludit, sed vult quod venit nomine contritionis presse, & stricte sumptę quam omnes dicunt importare amorem Dei propter se dilecti; quem motum vult posse incepisse prius tempore, sed formari, si continuatus in fine perficiatur per gratiæ infusionem.

XCIII. Et quæst. 28. de ver. a. 3. *Nullus*, inquit, *iustificari potest, habens vsum liberi arbitrij, nisi per vsum eiusdem, qui sit in ipso in-*

instanti suæ iustificationis. Cuius triplex ratio assignari potest. Prima sumitur ex habitudine agentis, & patientis ad inuicem. Patet enim in corporalibus, quod actio non perficitur sine contactu, quo vel solum agens tangat patiens, quando patiens non est natum tangere agens, sicut cum corpora superiora agunt in ista inferiora tangendo ea, & non tacta ab eis. Vel mutuò se tangunt agens, & patiens, quando vtrumque natum est tangere, & tangi, sicut cum ignis agit in aquam, & è conuersò; Vnde & in spiritualibus, quando natus est esse mutuus contactus, non completur actio sine contactu mutuo alioquin sufficit, quod agens tangat patiens. Ipse autem Deus, qui iustifiat impium, tangit animam in eo causando gratiam. Mens autem humana tangit Deum, eum aliquo modo cognoscendo, vl eamando. Vnde in adultis qui possunt Deum cognoscere, & amare, requiritur aliquis vsus liberi arbitrij, quo Deum

co-

cognoscant, & ament.

XCIV. *Secunda ratio sumitur ex ipsa ratione iustificationis. Iustitia enim secundum Anselmum est, rectitudo voluntatis propter se seruata; vndè iustificatio est quædam voluntatis immutatio. Voluntas autem accipitur, & pro ipsa potentia, & pro actu potentiæ; Actus autem immutari non potest, nisi ipsa cooperante, nisi enim esset in ipsa, non esset eius actus. In adultis requiritur immutatio actus voluntatis ad iustificationem, sunt enim per actum voluntatis ad aliquid inordinatè conuersi; quæ conuersio immutari non potest, nisi per actum coutrarium voluntatis, & ideò ad instificationem adultorum actus liberi arbitrij requiritur.*

XCV. *Tertia ratio desumitur ex similitudine diuinæ operationis in rebus corporalibus: Deus enim aliquem effectum producens, quem potest natura producere, secundum eandem dispositionem producit, sicut*

cut & natura. Ex naturalibus homo potest habere iustitiam dupliciter. Vno modo vt naturalem, vel innatam, secundùm quod quidam ex ipsa natura sunt proni ad opera iustitię. Alio modo vt acquisitam. Iustitiæ acquisitæ ex operibus similis est iustitia infusa, per quam iustificantur adulti. Vnde sicut in iustitia politicà acquisità requiritur actus voluntatis, quo quis amat iustitiã; ita in adultis iustificatio non completur sine vsu liberi arbitrij.

XCVI. Huc vsque tantùm probauit Angelicus vltimam dispositionem ad impetrandam gratiam in adulto esse debere motum liberi arditrij, progreditur ad quærendum, qualis debeat esse motus liberi arbitrij; & respondet esse duplicem motum alium in peecatum, vt detestetur de quo nunc non est quæstio, aliũ esse motum liberi arbitrij in Deum Ita 1.2. quæst. 113. cum a. 4. stabilijsset motum fidei, tanquam primum

mum quo Deus in se conuertit mentem hominis, ad 1. ait: *Motus fidei non est perfectus, nisi sit charitate informatus; vnde simul in iustificatione impij cum motu fidei est etiam motus charitatis. Mouetur autem liberum arbitrium in Deum ad hoc, quod ei se subijciat: vnde etiam concurrit actus timoris filialis & actus humilitatis. Contingit enim vnum & eundem actum liberi arbitrij diuersarum virtutum, esse, secundum quod vna imperat, & alia imperatur, prout actus est ordinabilis ad diuersos fines.* In quibus verbis particularitèr explicat munus actus charitatis à se exigiti, per quem, scilicet, homo subijciat voluntariè se ipsum Deo pro eodem instanti animam suam per gratiam inhabitantis; quem propterea actum dicit simul, & semel imperatum à virtute humilitatis, & à dono timoris filialis. Mihi autem videtur innegabile, quod homo adultus Deum in ani-

ma ſuſcipiat, abſque eo, quod poſitiuè nolit Deo ſe ſubijcere, qui proptereà actus cum dicatur charitatis à S. Thoma, apparet eſſe actum amoris Dei propter ſe dilecti.

XCVII. Et ibidem a. 5. *iuſtificatio impij*, inquit, *eſt quidam motus, quo humana mens mouetur à Deo à ſtatu peccati ad ſtatum iuſtitiæ. Oportet igitur, quod humana mens ſe habeat ad vtrunque extremorum, ſecundum motum liberi arbitrij, ſicut ſe habet corpus localitèr motum ab aliquo mouente ad duos terminos motus; manifeſtum eſt autem in motu locali corporum, quod corpus motum recedit à termino à quo, & accedit ad terminum ad quem; vnde oportet, quod mens humana dùm iuſtificatur per motum liberi arbitrij recedat à peccato, & accedat ad iuſtitiam. Receſſus autem & acceſſus in motu liberi arbitrij accipitur ſecundum deteſtationem, & deſiderium. Dicit enim Auguſti-*

nus

nus tr. 46. in Io. Affectiones nostræ motus animorũ sunt : lætitia, animi diffusio: timor, animi fuga est: progrederis animo, cum appetis : fugis animo, cum metuis : oportet igitur, quod in iustificatione impij sit motus liberi arbitrij duplex, vnus, quo desiderium tendat in Dei iustitiam; & alius, quo detestetur peccatum. Ad primum ergo dicendum, quod ad eandem virtutem pertinet prosequi vnum oppositorum, & refugere aliud; & ideo sicut ad charitatem pertinet diligere Deum, ita etiam detestari peccata, per quæ anima separatur à Deo. Igitur in iustificatione impij requiritur motu liberi arbitrij, quo anima desideret Dei iustitiam; quæ Dei iustitia cum idem sit, ac ipse Deus, desiderat ipsum Deum, vt scilicet, in se inhabitet: desiderium autem Dei est actus charitatis, quia, vt idem docet 2. 2. quæst. 28. a. 4. *Idem est habitus virtutis, qui inclinat ad dili-*

li-

ligendum Deum, & ad desiderandum bonum dilectum, & ad gaudendum de Deo, & propterea in responsione ad 1. hoc desiderium, quod vocat *diligere Deum* vult pertinere ad charitatem, ad quam paritèr pertineat fugere peccatum, si propter hoc fugiatur, quia separat à Deo; aliàs si merè fugiatur, quia est causatiuum gehennæ quę est mala peccanti, pertinebit hoc odium peccati ad amorem sui, qui potest esse bonus, & malus.

XCVIII. Vbi verò a.8. quærit ordinem quatuor requisitorum ad iustificationem impij, hunc statuit: *Inter ea naturali ordine primum est gratiæ infusio: secundum, motus liberi arbitrij in Deum: tertium motus libari arbitrij in peccatum: quartum verò est remissio culpæ. Et motus liberi arbitrij in Deum præcedit naturaliter motum liberi arbitrij in peccatum, cum sit causa, & ratio eius: quartum*

tum verò et vltimum est remissio culpæ ad quam tota ista transmutatio ordinatur, sicut ad finem. Hìc Angelicus examinat ordinem naturæ inter illa quatuor requisita ad iustificationem; & quia quęlibet mutatio considerari potest relatè ad causam efficientem, & ad causam materialem, ideò vtroque modo S. Doctor resoluit quæsitum, relatè ad causam materialem in responsione ad primum; relatè ad causam efficientem in corpore articuli; vbi expressè, vt audisti, vult motum liberi arbitrij in Deum præcedere motum arbitrij in peccatum, & esse illum causam istius; quare cum in susceptione sacramentorum, vt homo iustificetur, requiratur motus in peccatũ, multo magis requiretur motus in Deũ, quia propter quod vnũ quodque tale, & illud magis.

XCIX. Et quęst. 28. de ver. a. 4. vbi vnicè quærit, an ad iustificationem requiratur motus liberi

arbitrij in Deum, resolutioni præponitur hocce scholium. *Motus aliquis liberi arbitrij requiritur in iustificatione, fidei, scilicet, spei, & charitatis, quibus anima in Deum ipsum mouetur.* Ita in editione Parisiensi de anno 1660. sed audiatur ipse Sanctus: *Quia iustitia completiuè in affectu æxistit, ideò si homo secundum intellectum tantùm* (quo præposuerat hominem moueri per motum fidei) *conuerteretur in Deum, non contingeret Deum secundum id, quod iustitiam recipit, idest, secundum affectum, & sic iustificari non posset. Requiritur ergo, quod non solum intellectus conuertatur in Deum, sed effectus: primus autem motus affectus in aliquid est motus amoris, qui quidem motus in desiderio includitur, sicut causa in effectu, Desideratur enim aliquid quasi amatum. Ipsa verò spes desiderium quoddam importat cum quadam animi erectione in arduum tendens. Sic ergo liberum arbitrium*

in

in iustificatione impij mouetur in Deũ motu fidei, charitatis, & spei: oportet enim iustificatũ in Deũ conuerti amando ipsum cũ spe veniæ. Respondendo autẽ ad obiecta addit; ad 3. *dicendũ. quod timor filialis qui timet separationẽ, includitur virtute in motu amoris: eiusdẽ enim rationis est desiderare coniunctionẽ amati, & timere separationẽ.* Ad 4. *timor filialis . . importat quamdam reuerentiam, per quam homo non audet diuinæ maiestati se comparare; sed ei se subijcit.* Ad 5. *motus charitatis requiritur ad iustificationem.* Ad 11. *In iustitia generali, de qua nunc loquimur, includitur ordinatio debita hominis in Deum. Et sic tam fides, quam spes, quam charitas, sub huiusmodi iustitia continetur.* Ad 12. *Peccatum prohibet gratiam præcipuè ratione auersionis, & ideo ad remouendum hoc prohibens, requiritur motus liberi arbitrij in Deum.*

C. Hìc Angelicus explicuit motum amoris esse primum actũ

quo mens mouetur in Deum, & præcedere desiderium, cuius imò est causa, post desiderium in concupiscibili, sequitur spes in irascibili, firmans voluntatem, ne à boni arduitate impediatur à consecutione obiecti per concupiscibilem desiderati; cumque spes non possit esse vltima dispositio ad iustificationem, neque erit vltima dispositio motus amoris, & desiderij, qui duplex motus præcedit spem; quare alius amor exigitur, nempè, ille, qui imperatur à timore filiali, & vi cuius anima subijcit se Deo, vt pro eodem instanti ipsam inhabitet; & hic est motus charitatis in Deum; dicitur etiam motus in iustitiam, vt locutus fuerat in 1. 2. iuxtà adducta num 97. sed motus hic in iustitiam, est in iustitiam generalem; vndè hoc ipso, quod homo fertur in iustitiam, fertur etiam in charitatem; quę sub iustitia continetur. Denique conuersio hæc

li-

liberi arbitrij in Deum præcipuè requiritur ad tollendum prohibens gratiam, quod est auersio à Deo; quæ auersio cùm tolli debeat etiam in iustificatione per sacramenta, in hac pariter exigetur conuersio liberi arbitrij in Deum, quæ tamen sufficienter intelligitur, per hoc, quod homo velit iustitiam, seù iustificationem dummodò ponat cætera ad illam impetrandam requisita, seù, quod idem est, per hoc, quod homo velit se subijcere Deo inhabitanti, & actu subijciat. Eadem autem circa hunc motū liberi arbitrij in Deum repetit in sequenti artic. 5.

CI. Deueniendo autem ad loca, vbi tractat S. Doctor de iustificatione per sacramenta, iam obseruaui num. 12. Commentatores Magistri resoluere quęstiones iuxtà ipsius ordinem, quare cum in 4. dist. 17. Magister tractet de sacramento pænitentiæ, dicendum est ibidem Angelicum tractare

 iu-

iustificationem, secundum quod habetur per sacramentum pænitentiæ. Illic autem quæstione 1. a. 2. quæstiuncula 2. quærit an exigatur motus liberi arbitrij in Deum, & in argumento, sed contrà probat requiri ex duplici authoritate, altera Augustini serm. 15. de verb. Apostoli c. 11. *Qui creauit te sine te, non iustificabit te sine te*; ex quà infert requiri ad iustificationem motum liberi arbitrij in Deum: altera Bernardi tr. de grat. & lib. arb. dicentis, quod donum gratiæ *tam absque consensu recipientis esse non potest, quam absque gratia dantis. sed consensus* deducit S. Thomas *non est sine motu liberi arbitrij, ergo motus liberi arbitrij ad iustificationem requiritur.*

CII. In corpore responsionis probat requiri motum liberi arbibitrij in Deum eà ratione, *quia*, scilicet, *gratia, quæ datur ad rectè viuendum, & ad peccatorum remis-*

sio-

sionem per priùs respicit voluntatem quàm alias potentias. Per eam enim peccatur, & rectè viuitur. Et ideò oportet, quod infusio gratiæ iustificantis sit secundum talem modum qui voluntati competat; & propter hoc oportet, quod à tali infusione ratio violentiæ excludatur, quia violentiæ voluntas capax non est. Ad hoc autem, quod violentia ab actione tollatur, oportet, quod patiens cooperetur agenti secundum modum suum. Vnde in illis, quæ nata sunt agere, requiritur, quod actiuè cooperentur. In illis autem, quæ sunt nata recipere tantùm, sicut materia prima, sufficit ad violentiam tollendam naturalis inclinatio ad formam; & ex hoc dicitur naturalis generatio, sed quantum est ibi de contrarietate, tantum est de violentia. Vnde quando voluntas non habet actum contrarium, sicut est in pueris, sine violentia voluntatis potest infundi gratia per sacramentum, sicut patet in sanctificatis in vtero: sed quan-

do voluntas habet suum actum, sicut est in adultis, requiritur actus voluntatis ad gratiam suscipiendam, animam ad datorem ordinans. Et ideo ad iustificationem, quæ per infusionem gratiæ fit, requiritur motus liberi arbitrij in Deum.

CIII. Ex puerorum exemplo qui iustificantur per babtismum, apparet doctrinam traditam esse vniuersalem pro quacunque iustificatione etiam sacramentali; & id etiam magis apparet ex responsione ad 3. vbi hęc addit: *Per baptismum etiam adulti recipere possunt gratiam in dormiendo; quia quamuis non adsit actualis dispositio ex actuali motu voluntatis, adest tamen habitualis dispositio ex motu liberi arbitrij præcedente, qui quidem quandoque ad gratiam percipiendam sufficienter disponit; & tunc gratia infunditur statim; quandoque insufficienter, & tunc talis insufficientia non potest suppleri,*

nisi per alium actum liberi arbitrij, vel per sacramentum, quod ad gratiam operatur. Et propter hoc sine sacramento nullus adultus iustificari potest, nisi actualiter motu liberi arbitrij existente, sed per sacramentum potest, si tamen præcessit motus liberi arbitrij prohibens fictionem. Igitur doctrina tradita de iustificatione est vniuersaliter accipienda de quacunque iustificatione, siue in sacramento, siue extra sacramentum; cum hac tantùm differentia, quod extra sacramentum, vt impius iustificetur debet habere actu aliquem motum liberi arbitrij in Deum, cum sacramento sufficit habuisse motum liberi arbitrij in Deum, per quem remoueatur fictio, per quẽ; scilicet intendatur sacramentum; & res sacramenti; quæ intentio percipiendi rem sacramenti in pænitentia est necessaria ad iustificationem; & alias est motus liberi arbitrij in Deum, vt osten-

dam subsequenter.

CIV. In quæstiuncula 3. S. Doctor disputat, cui sit attribuenda iustificatio; & proponit primum argumentum, quo videtur probari non esse tribuendam fidei in hæc verba: *Vt Deus appropinquet nobis per iustificationem, oportet quod nos appropinquemus ei per affectum; sed per affectum facit nos appropinquare Deo charitas, ergo iste motus liberi arbitrij in Deũ, non est fidei, sed charitatis*, resoluit tamen iustificationem attribui debere fidei, quia, *quod natum est ex pluribus sequi, attribuitur ei, quod primum est . . . Vnde si iustificatio sequitur ad motum liberi arbitrij in Deum, oportet, quod attribuatur illi motui, qui naturaliter prior est in iustificatione. Mouetur autem mens in Deum, & per intellectum, & per affectum . . . sed naturaliter motus intellectus præcedit. Ad primum ergo dicendum, quod motum liberi arbitrij cum quo gra-*

tia

tia infuuditur, oportet accipi in suam vltima perfectione: actus autem fidei perfectus non est, nisi actu affectus perfecto existentes: nullus enim credit, nisi quod vult, vt dicit Augustinus 1. de sp. & litt. c. 32. Et ideo cum actu fidei in iustificatione semper adiungitur actus charitatis. Et his duobus anima Deo appropinquat.

CV. In quęstiuncula 4. probat in iustificatione requiri motum liberi arbitrij in peccatum, quia, *sicut in generationibus naturalibus, in quibus vna forma expellitur, & altera introducitur, oportet esse disponens ad vtrumque, ita in iustificatione, qua gratia confertur, & culpa expellitur, oportet esse dispositionem voluntatis secundum proprium actum ad vtrunque. Et ideò sicut per motum liberi arbitrij in Deum disponitur, qui iustificatur ad gratiam obtinendam, ita per motum liberi arbitrij in peccatum, oportet, quod ad culpæ expulsionem di-*

sponatur. Et ideò in iustificatione, qua innocens iustificaretur, oportet esse solum dispositionem ad gratiam inducendam, sed in iustificatione, qua iustificatur impius, oportet dispositionem esse duplicem, vnam ad introducendam gratiam, scilicet, motum liberi arbitrij in Deum, alteram ad expellendam culpam, scilicet, motum liberi arbitrij in peccatum. Adeò necessarius videtur S. Thomę motus liberi arbitrij in Deum ad impetrandam gratiam, vt casum admittat, quo adultus possit iustificari sine odio peccati, nunquam tamen vult iustificari sine motu in Deum. Quod idem repetit in quęstiuncula 5.

CVI. Eundem amoris actum firmat Angelicus in 4. cuntra Gent. c. 72. vbi loquens de sacramento pænitentiæ hęc habet: *Primum, quod requiritur in pænitentia, est ordinatio mentis, vt, scilicet, mens conuertatur ad Deum, & auertatur à peccato . . . Hæc verò men-*

tis

tis ordinatio esse non potest ; nam mens nostra debite ad Deum conuerti non potest sine charitate : charitas autem haberi non potest sine gratia; sic igitur per contritionem, & offensa Dei tollitur, & reatu pænæ æternę liberatur . . . Nec solum necesse est, quod mente Deo adhæreat, sed etiam Mediatori Dei, & hominum Iesu Christo, in quo datur remissio omnium peccatorum, nàm in conuersione mentis ad Deum salus spiritualis consistit, quam quidem salutem consequi non possumus; nisi per medicum animarum nostrarum Iesum Christum, qui saluat populum suum à peccatis eorum .

CVII. Sed reliquis dimissis audiatur ex 3.p. quæst. 85. a. 5 hanc enim doctrinam veluti canonizauit Tridentina Synodus eam suis actis inserens . Post Eucharistiæ sacramentum S. Doctor incipit agere à quæstione 83. de subsequente sacramento pænitentiæ, in qua considerabilis est ratio

tio virtutis, & ratio ſacramenti; alteram examinat prędicta quæſtione 84. alteram verò quæſt. 85. in cuius articulo quinto inueſtigans cauſam virtutis pænitentiæ ſacramentalis, ***De pænitentia***, inquit, *loqui poſſumus, quantum ad actus, quibus Deo operanti cooperamur, quorum primum principium eſt Dei operatio conuertentis cor iuxta illud Thren. vlt.* Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur: *Secundus actus eſt motus fidei: tertius eſt motus timoris ſeruilis, quo quis timore ſuppliciorum à peccatis retrahitur: quartus actus eſt motus ſpei, quo quis ſub ſpe veniæ conſequendæ aſſumit propoſitum emendandi: quintus actus eſt motus charitatis, quo alicui peccatum diſplicet ſecundum ſe ipſum, & non iam propter ſupplicia: ſextus actus eſt motus timoris filialis, quo propter reuerentiam Dei aliquis emendam Deo voluntarius offert, ſic igitur patet, quod actus pænitentiæ à*

ti-

timore seruili procedit , sicut à primo motu affectus ad hoc ordinato; à timore autem filiali sicut ab immediato, & proximo principio .

CVIII. Et a.6 *Actus* , addit, *quidam laudabiles etiam tempore præcedere possunt actum , & habitum pænitentiæ, sicut actus fidei, & spei informis , & actus timoris seruilis . Actus autem , & habitus charitatis simul sunt tempore , cum actu , & habitu pænitentiæ : nam sicut 1.2.quæst.113.a. 3. & 8. habitum est , in iustificatione impij simul est motus liberi arb trij in Deum qui est actus fidei per charitatem formatus, & motus liberi arbitrij in peccatum , qui est actus pænitentię : Horum tamen duorum actuum primus naturaliter præcedit secundum: nam actus virtutis pænitentiæ est contra peccatum ex amore Dei vnde primus actus est ratio, & causa secundi .*

CIX. Deinde quęst.86. a.6. considerans an remissio peccati

sit

tic effectus pœnitentiæ dicit: *Pænitentia est virtus, secundum quod est principium humanorum actuum. Actus autem humani, qui sunt ex parte peccatoris materialiter se habent in sacramento pœnitentiæ: omne autem sacramentum producit effectum suum non solum virtute formæ sed etiam virtute materiæ: ex vtroque enim est vnum sacramentum: unde sicut remissio culpæ fit in baptismo, non solum virtute formæ, sed etiam virtute materiæ scilicet, aquæ, principalius tamen virtute formæ, ex qua & ipsa aqua virtutem recipit, ita etiam, & remissio culpæ est effectus pœnitentiæ principalius quidem ex virtute clauium, quas habent ministri, ex quorum parte accipitur, quod est formale in hoc sacramento, secundario autem ex vi actuum pœnitentis pertinentium ad virtutem pœnitentiæ, tamen prout tales actus aliqualiter ordinantur ad claues Ecclesiæ. & sic patet, quod remissio culpæ est effectus pœnitentiæ*

se-

secundum quod est virtus, principalius tamen secundum quod est sacramentum. Ad primum ergo dicendum quod effectus gratiæ operantis est iustificatio impij, in qua non solùm est infusio gratię, & remissio culpæ, sed etiam motus liberi arbitrij in Deum, qui est actus fidei formatæ, & motus liberi arbitrij in peccatum qui est actus pænitentiæ. Ad 2. dicendum, quod in iustificatione impij non solum est actus pænitentiæ, sed etiam actus fidei; ideò remissio culpæ non ponitur solum effectus pænitentiæ, sed principalius fidei, & charitatis.

CX. Ex qua doctrina habetur pænitentiam esse virtutem, vt causat quosdam humanos actus, quos nempè enumerauerat quæst. 85. a.5. à me traditos num. 107. Hi autem actus humani habent vim causandi remissionem culpæ, sed prout sunt materia sacramenti, & vt ordinantur ad claues Ecclesiæ. Inter quos actus semper suum

ſuum locum habet actus charitatis, nempè motus liberi arbitrij in Deum concurrens ad remiſſionem culpæ principalius quam odium peccati, qui eſt actus elicicitus pænitentiæ, cum motus liberi arbitrij in Deum à pænitentia ſit imperatus, vel imperans, elicituſque ab habitu charitatis, ſi ſit perfectus; quod ſi ſit imperfectus, ab auxilio tranſeunte Dei ſupplente defectum habitus charitatis, vti contingit in actibus aliarum virtutum reperibilibus in peccatore, qui ſi ſunt perfecti, & ex omni parte virtuoſi procedunt ab habitu; ſi imperfecti, eſto ſupernaturales eliciuntur per auxilium tranſiens, quod ſupplet defectum habitus. Actum autem aliquem charitatis elici poſſe, non habente habitum charitatis probabo a.c.19.

CAPVT X.

Cæteri antiqui Scholaſtici ſenſerunt ad iuſtificationem etiam in ſacramentis mortuorum requiri amorem Dei propter ſe dilecti.

CXI. ANgelico Eccleſiæ Doctori concinit Seraphicus S. Bonauentura, qui in 4.d.17.p.1.a.1.quæſt.2. probat neceſſarium eſſe ad iuſtificationem motum liberi arbitrij, ex duplici authoritate Auguſtini, & Bernardi, quà vſus fuit S.Thomas adductus ſuprà quod vt probet ratione, ſic arguit: *Sicut iuſtificatio non eſt, niſi volentis, ſic etiam non dat eam Deus, niſi volenti, dummodo ſit in tali ſtatu, quod conſentire, & diſſentire poſſit: ideò ad ſuſceptionem iuſtificationis in adulto requiritur motus liberi arbitrij ſecun-*

cun-

cundum quem consentit gratiæ. Et quæst.3. *Si ad hoc, quod gratia infundatur necesse est, quod homo se præparet, consentiendo gratiæ*(vt probauit qu.præcedente)*& detestando peccatũ, necesse est in infusione vt esse ista quatuor, scilicet, gratiæ infusionem, liberi arbitrij motũ, contritionem, & peccati expulsionem. Deus enim expellit culpam infundendo gratiam, sed non infundit, nisi ei, qui concordat: & necesse est concordare gratiæ aduenienti, & peccatum expellenti. Gratiæ concordat per motum liberi arbitrij: Vnde duo sunt ibi à Deo, gratiæ infusio, & peccati expulsio: duo à nobis. Et hæc tanguntur in illo versiculo Psalmi* 19. Commouisti terram, & conturbasti eam: sana contritiones eius, quia commota est. *Gratia aduenient in animam commouet rationem, secundum quod est pars liberi arbitrij, & conturbat voluntatem per contritionem, & postmodum sanat per peccati expulsio-*

sio-

ſionem; & ratio huius redditur, quia præceſſit duplex commotio, per quam anima ſe gratiæ iuſtificanti conformauit, & ideo ſubiungit, quia commota eſt. Conſenſum hominis ad ſuſcipiendam gratiam, Deumque in anima inhabitantem, quem ſuprà toties audiſti exigitum à S. Thoma, hic etiam exigit S. Bonauentura, qui dicens hunc conſenſum eſſe motum fidei, intelligendus eſt ſub ea ratione, qua ſe S. Thomas explicuit, vt eſſet motus fidei formatę, diceretur que motus fidei, quia à fide incipit noſtra iuſtificatio. Exigit autem ſemper hunc actum pro inſtanti infuſionis gratiæ, cum S. Thomas exceperit caſum, quo dormiens ſuſciperet ſacramentum, quia dedit doctrinam vniuerſalem, quæ non ſolet reſtringi ab omnibus, ob caſum particularem rariſſime contingentem.

CXII. Bonauenturam Alenſis docuerat prędictam ſententiam hic

hic enim 4. quæst.17. (semper vbi agit de pænitentia, vt est sacramentum) membr.4.a. 6. §. 3. sic habet: *Quæritur, si motus liberi arbitrij requiritur, & proceditur sic ad partem affirmatiuam Augustinus: qui creauit te, sine te, non iustificabit te sine te, ergo ad iustificationem impij requiritur aliquis motus ex parte ipsius. Item Bernardus: Deus immittendo bonam cogitationem nos præuenit, immutando malam voluntatem, sibi per consensum nos coniungit. Coniunctio ergo iustificati cum Deo, quæ fit in iustificatione, est per consensum, ergo cooperante libero arbitrio. Item Bernardus: opus salutis duo requirit, Deum dantem, & liberum arbitrium recipiens; sed liberum arbitrium non est recipiens, vt omninò materiale, nullo modo cooperans, ergo ad opus salutis requiritur liberum arbitrium cooperans, & ita motus liberi arbitrij. Item idem patet per hoc, quod iustificatio adulti, quantum est ex parte*

te ipsius si in aliquo abundat à iustitia paruuli: hæc abundantia est quantum ad consensum ad minus.

CXIII. Affert deindè rationes pro negatiuà, quibus adductis respondet: *In iustificatione adulti requiritur motus liberi arbitrij.. obedientis ad consensum, non enim datur gratia iustificans nolenti recipere, siue dissentienti... Deus inducit consensum, & de non voluntario facit voluntarium. Vnde Bernardus: Benignus Pater, qui omnes vult saluos fieri, nullum iudicat salute dignum, quem ante non probauerit voluntarium: aliquando tamen terret, aut percutit, vt faciat voluntarium, non vt saluet inuitum, quatenus de malo in bonum mutat voluntatem... Motus,* iste *neque est præcisè vis intellectiuæ, neque affectiuæ, neque elicitur præcisè imperio fidei, neque imperio amoris, vel timoris, sed exit in esse ex intellectu fide illuminato, & timore declinante à malo, & amore*

tio virtutis, & ratio sacramenti; alteram examinat prędicta quæstione 84. alteram verò quæst. 85. in cuius articulo quinto inuestigans causam virtutis pænitentiæ sacramentalis, *De pænitentia*, inquit, *loqui possumus, quantum ad actus, quibus Deo operanti cooperamur, quorum primum principium est Dei operatio conuertentis cor iuxta illud Thren. vlt.* Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur: *Secundus actus est motus fidei: tertius est motus timoris seruilis, quo quis timore suppliciorum à peccatis retrahitur: quartus actus est motus spei, quo quis sub spe veniæ consequendæ assumit propositum emendandi: quintus actus est motus charitatis, quo alicui peccatum displicet secundum se ipsum, & non iam propter supplicia: sextus actus est motus timoris filialis, quo propter reuerentiam Dei aliquis emendam Deo voluntarius offert, sic igitur patet, quod actus pænitentiæ à ti-*

timore seruili procedit, sicut à primo motu affectus ad hoc ordinato; à timore autem filiali sicut ab immediato, & proximo principio.

CVIII. Et a.6 *Actus*, addit, *quidam laudabiles etiam tempore præcedere possunt actum, & habitum pænitentiæ, sicut actus fidei, & spei informis, & actus timoris seruilis. Actus autem, & habitus charitatis simul sunt tempore, cum actu, & habitu pænitentiæ: nam sicut 1.2.quæst.113.a. 3. & 8. habitum est, in iustificatione impij simul est motus liberi arbitrij in Deum qui est actus fidei per charitatem formatus, & motus liberi arbitrij in peccatum, qui est actus pænitentiæ: Horum tamen duorum actuum primus naturaliter præcedit secundum: nam actus virtutis pænitentiæ est contra peccatum ex amore Dei vnde primus actus est ratio, & causa secundi.*

CIX. Deinde quęst.86.a.6. considerans an remissio peccati

sit

sit effectus pęnitentię dicit: *Pænitentia est virtus, secundum quod est principium humanorum actuum. Actus autem humani, qui sunt ex parte peccatoris materialiter se habent in sacramento pænitentiæ: omne autem sacramentum producit effectum suum non soum virtute formæ sed etiam virtute materiæ: ex vtroque enim est vnum sacramentum: vnde sicut remissio culpæ fit in baptismo, non solum virtute formæ, sed etiam virtute materiæ scilicet, aquæ, principalius tamen virtutæ formæ, ex qua & ipsa aqua virtutem recipit, ita etiam, & remissio culpæ est effectus pænitentiæ principalius quidem ex virtute clauium, quas habent ministri, ex quorum parte accipitur, quod est formale in hoc sacramento: secundariò autem ex ui actuum pænitentis pertinentium ad virtutem pænitentiæ, tamen prout hi actus aliqualiter ordinantur ad claues* Ecclesiæ; *& sic patet, quod remissio culpæ est effectus pænitentię*

se-

secundum quod est virtus, principalius tamen secundum quod est sacramentum. Ad primum ergo dicendum quod effectus gratiæ operantis est iustificatio impij, in qua non solùm est infusio gratię, & remissio culpæ, sed etiam motus liberi arbitrij in Deum, qui est actus fidei formatæ, & motus liberi arbitrij in peccatum qui est actus pænitentiæ. Ad 2. dicendum, quod in iustificatione impij non solum est actus pænitentiæ, sed etiam actus fidei; ideò remissio culpæ non ponitur solum effectus pænitentiæ, sed principalius fidei, & charitatis.

CX. Ex qua doctrina habetur pænitentiam esse virtutem, vt causat quosdam humanos actus, quos nempè enumerauerat quæst. 85. a.5. à me traditos num. 107. Hi autem actus humani habent vim causandi remissionem culpæ, sed prout sunt materia sacramenti, & vt ordinantur ad claues Ecclesiæ. Inter quos actus semper suum

ſuum locum habet actus charitatis, nempè motus liberi arbitrij in Deum concurrens ad remiſſionem culpæ principalius quam odium peccati, qui eſt actus elicicitus pænitentiæ, cum motus liberi arbitrij in Deum à pænitentia ſit imperatus, vel imperans, elicituſque ab habitu charitatis, ſi ſit perfectus; quod ſi ſit imperfectus, ab auxilio tranſeunte Dei ſupplente defectum habitus charitatis, vti contingit in actibus aliarum virtutum reperibilibus in peccatore, qui ſi ſunt perfecti, & ex omni parte virtuoſi procedunt ab habitu; ſi imperfecti, eſto ſupernaturales eliciuntur per auxilium tranſiens, quod ſupplet defectum habitus. Actum autem aliquem charitatis elici poſſe, non habente habitum charitatis probabo a.c.19.

CAPVT X.

Cæteri antiqui Scholastici senserunt ad iustificationem etiam in sacramentis mortuorum requiri amorem Dei propter se dilecti.

CXI. ANgelico Ecclesiæ Doctori concinit Seraphicus S. Bonauentura, qui in 4.d.17.p.1.a.1.quæst.2. probat necessarium esse ad iustificationem motum liberi arbitrij, ex duplici authoritate Augustini, & Bernardi, quà vsus fuit S.Thomas adductus suprà quod vt probet ratione, sic arguit: *Sicut iustificatio non est, nisi volentis, sic etiam non dat eam Deus, nisi volenti, dummodo sit in tali statu, quod consentire, & dissentire possit: ideò ad susceptionem iustificationis in adulto requiritur motus liberi arbitrij secun-*

cundum quem consentit gratiæ. Et quæst.3. *Si ad hoc, quod gratia infundatur necesse est, quod homo se præparet, consentiendo gratiæ*(vt probauit qu.præcedente)*& detestando peccatũ, necesse est in infusione vt esse ista quatuor, scilicet, gratiæ infusionem, liberi arbitrij motũ, contritionem, & peccati expulsionem. Deus enim expellit culpam infundendo gratiam, sed non infundit, nisi ei, qui concordat: & necesse est concordare gratiæ aduenienti, & peccatum expellenti. Gratiæ concordat per motum liberi arbitrij: Vnde duo sunt ibi à Deo, gratiæ infusio, & peccati expulsio: duo à nobis. Et hæc tanguntur in illo versiculo Psalmi* 19. Commouisti terram, & conturbasti eam: sana contritiones eius, quia commota est. *Gratia aduenięns in anima commouet rationem, secundum quod est pars liberi arbitrij, & conturbat voluntatem per contritionem, & postmodum sanat per peccati expulsio-*

sio-

sionem; & ratio huius redditur, quia præcessit duplex commotio, per quam anima se gratiæ iustificanti conformauit, & ideo subiungit, quia commota est. Consensum hominis ad suscipiendam gratiam, Deumque in anima inhabitantem, quem supra toties audisti exigitum à S. Thoma, hic etiam exigit S. Bonauentura, qui dicens hunc consensum esse motum fidei, intelligendus est sub ea ratione, qua se S. Thomas explicuit, vt esset motus fidei formatę, diceretur que motus fidei, quia à fide incipit nostra iustificatio. Exigit autem semper hunc actum pro instanti infusionis gratiæ, cum S. Thomas exceperit casum, quo dormiens susciperet sacramentum, quia dedit doctrinam vniuersalem, quæ non solet restringi ab omnibus, ob casum particularem rarissime contingentem.

CXII. Bonauenturam Alensis docuerat prędictam sententiam

hic enim 4. quæst.17. (semper vbi agit de pænitentia , vt est sacramentum) membr.4.a. 6. §. 3. sic habet: *Quæritur, si motus liberi arbitrij requiritur, & proceditur sic ad partem affirmatiuam Augustinus: qui creauit te, sine te , non iustificabit te sine te, ergo ad iustificationem impij requiritur aliquis motus ex parte ipsius. Item Bernardus : Deus immittendo bonam cogitationem nos præuenit, immutando malam voluntatem, sibi per consensum nos coniungit. Coniunctio ergo iustificati cum Deo, quæ fit in iustificatione, est per consensum, ergo cooperante libero arbitrio. Item Bernardus: opus salutis duo requirit, Deum dantem, & liberum arbitrium recipiens; sed liberum arbitrium non est recipiens, vt omninò materiale , nullo modo cooperans, ergo ad opus salutis requiritur liberum arbitrium cooperans , & ita motus liberi arbitrij. Item idem patet per hoc , quod iustificatio adulti, quantum est ex parte*

te ipsius? in aliquo abundat à iustitia paruuli: hæc abundantia est quantum ad consensum ad minus.

CXIII. Affert deindè rationes pro negatiuà, quibus adductis respondet: *In iustificatione adulti requiritur motus liberi arbitrij .. obedientis ad consensum, non enim datur gratia iustificans nolenti recipere, siue dissentienti ... Deus inducit consensum, & de non voluntario facit voluntarium. Vnde Bernardus: Benignus Pater, qui omnes vult saluos fieri, nullum iudicat salute dignum, quem ante non probauerit voluntarium: aliquando tamen terret, aut percutit, vt faciat voluntarium, non vt saluet inuitum, quatenus de malo in bonum mutat voluntatem ... Motus,* iste *neque est præcisè vis intellectiuæ, neque affectiuæ, neque elicitur præcisè imperio fidei, neque imperio amoris, vel timoris, sed exit in esse ex intellectu fide illuminato, & timore declinante à malo, & amore*

accendente ad bonum, & spe eleuante intellectum ad cælestia. Vnde motus iste, secundum quod est in Deum, est motus affectus timentis, & diligentis.

CXIV. Similiter §. 4. quærit quare ad iustificationem non requirantur plura, quam illa quatuor; adducitque aliud argumentum ad probandam necessitatem motus liberi arbitrij in Deum: quod est huiusmodi: *Deus quantum est de se, semper se habet vniformiter; vnde Iac. I. Apud quem non est transmutatio, neque vicissitudinis obumbratio, vndè quod peccator adultus modò iustificatur, & non priùs, hoc non est propter diuersitatem ex parte Dei, erit igitur ex aliqua diuersitate ex parte hominis, sed nulla diuersitas videtur in illo, nisi motus arbitrij eius, qui primò fuit dissentiens à Deo, postmodum consentiens, & habens motum in Deum, ergo cum prius non fuerit iustificatus, sed postmodom, patet, quod*

quod necessarius fuit illi motus. Deinde vt ostendat illa quatuor sufficere, addit: *Deus non iustificat nos sine nobis consentientibus (de adulto dico) Oportet ergo, quod aliquid sit ex parte Dei, & aliquid ex parte nostra. In iustificatione enim sunt duo termini, à malo, & ad bonum; vnde ex parte Dei requiritur aliquid ex parte termini à quo, & aliquid ex parte termini ad quem: similiter ex parte nostra. Ex parte nostri respectu termini in quem, est motus liberi arbitrij. . Liberum arbitrium autem cum sit facultas voluntatis, & rationis, oportet, quod & ratio informetur, & voluntas: ratio fide informatur, idest gratia ad intelligendum, voluntas dilectione, idest gratia ad diligendum, vnde dicitur, quod fide, & amore iustificamur, & propter hæc duo quandoque dicitur, quod fide iustificamur quandoque autem, quod amore. Infusio ergo gratiæ ad intelligendum est fides, infusio gratiæ ad*

volendum est amor.

CXV. Et a. 7. quærit primò, de ordine, quo concurrunt ad iustificationem infusio gratiæ, & motus liberi arbitrij; in responsione ait: *Motus liberi arbitrij, quandoque est à gratia gratis data, quandoque à gratia gratum faciente; quandoque enim mouetur peccator in Deum, recogitando Dei misericordiam, & quantum ad indulgentiam peccatorum, & quantum ad munificentiam aliorum beneficiorum, & etiam quantum ad erectionem per spem, & ex hac cogitatione, & erectione præparat se ad gratiam suscipiendam: motus autem huiusmodi non est ille, qui est vnum de quatuor quæ dicuntur concurrere ad iustificationem impij, sed potiùs ille qui est informatus gratia gratum faciente; vnde illum præcedit infusio gratiæ ad minus prioritate naturæ. Ad illud ergo quod obijcitur, quod adulto iustificando non infunditur gratia, nisi moueatur in Deum, dicendum*

quod

quod hoc est verum; sed iste motus alius est ab illo, qui est vnum de quatuor prædictis. Ecce duos motus liberi arbitrij in Deum, cognoscit Alensis, seù quod idem est ipsi, duos amores Dei; alium tempore præcedentem iustificationem, & procedentem à gratia gratis data; vnde non omnis amor Dei propter se dilecti prouenire semper debeat ab habitu charitatis, & hunc amorem præcedentem tempore non vult esse vltimam dispositionem ad gratiam.

CXVI. Vlterius in §.2. quærit ordinem inter motum liberi arbitrij, & contritionem, & quæ sit *differentia inter motum liberi arbitrij, secundum quod hic sumitur, & contritionem: contritio enim est motus liberi arbitrij*. Adducit varias opiniones, quarum vltima dicit, *quod motus liberi arbitrij consistit in assensu gratiæ, qui assensus est necessarius ad iustificationem,*

quia non datur gratia animæ dissentienti. Huic opinioni sibi *videtur magis assentiendum, vt dicatur motus liberi arbitrij consentire in assensu gratiæ ex instinctu fidei . . Sic ergo patet ordo motus liberi arbitrij, & contritionis ad inuicem, vt motus liberi arbitrij dicatur consistere in assensu gratiæ quæ est prima in his, quæ requiruntur ad iustificationem, contritio in displicentia peccati, & detestatione. Et licet vtrumque sit motus liberi arbitrij, differenter tamen, & quantum ad substantiam motus, & quantum ad terminos, quia motus liberi arbitrij est ad bonum: motus contritionis à malo. Ad illud, quod quæritur de ordine . . . Primò ponitur infusio gratiæ à qua motus liberi arbitrij, & motus contritionis informantur: deinde ponitur motus liberi arbitrij, quo gratiæ assentitur: tertiò contritio.*

CXVII. Albertus Magnus in 4.d.17.a.10.quærit quæ sint illa quatuor, quæ requiruntur ad iusti-

ſtificationem impij, & ſic procedit. *Dicitur ab omnibus, quod quatuor exiguntur ad iuſtificationem impij*. Ecce quod omnes ſentiebant exigi illa quatuor toties dicta, *quæ notantur in Pſ.59.* Commouiſti terram &c. pluribus in contrarium obiectis, reſpondet, *quod hæc quatuor exiguntur*, duo penès Deum operantem, & duo penès hominem ſe præparantem: Penes hominem: *Vnum*, penès terminum à quo ... *alterum penes terminum ad quem gratiam recipiendo, & amplectendo, & hic eſt motus liberi arbitrij in Deum .. Ad aliud dicendum, quod charitas non requiritur expreſſa, ſed tantùm amor ſuppoſitus in motu liberi arbitrij in Deum .. Dico, quod motus in Deum eſt affectus, ſecundum quod conſequitur ex intellectu per fidem illuminato, & per timorem caſum fugientem, & amorem ſpe eleuantia affectum: & ideò motus in Deum eſt motus affectionis ti-*

 men-

mentis , & amantis.

CXVIII. Accedit Scotus in 4.d.14.quæst.1.n.18. *Rationabile est*, inquiens, *quod non deleatur peccatum nisi per motum oppositum auertentem à creatura, & conuertentem ad Deum*. Videatur tota illa quæstione; sed clariùs distinctione 20. vbi loquens de pænitentia sacramentali in extremis addit vix sufficere ad salutem, quia, *displicentia*, vt valeat, & sit ordinata. *oportet, quod sit debitè circumstantionata, & maximè circumstantia finis, & actiui principij principalis, vt, scilicet, sit voluntaria propter Deum; sed difficile est tunc habere actum sic circumstantionatum, quia qui vsque tunc fuit impænitens, non videtur tunc extorquere a se ipso displicentiam nouam, nisi timore pænæ imminentis. Hanc rationem tangit Augustinus in littera. Oportet non solum timere Iudicem, sed diligere* (ecce quod pænitentiæ sacramentali applicat

verba Augustini) *Arbitrij enim libertatem quærit, vt delere possit commissa, non necessitatem, charitatem, non timorem*. Et num. 7. *Infirmo iam ad articulũ mortis deducto suadendum est, vt secundum suam possibilitatem laboret ad pænitentiam ordinatam, vt, scilicet, non obstante dolore, vel timore... nitatur habere displicentiam voluntariam propter Deum*. Eadem ijsdem ferè verbis repetit in Reportato Parisiensi sub eadem dist. 20.

CXIX. Gulielmus Parisiensis in opusculo de pænit. c. 7. *Qui atteritur*, inquit, *vel conteritur, necesse est moueatur motu fidei; & iterum motu spei: non enim veniret ad pænitentiale sacramentum, nisi speraret de venia obtinenda, & gratia recuperanda. Necesse est etiam moueatur motu dilectionis alicuius, siue sit illa charitas, siue non. Non enim quæreret per pænitentiale sacramentum veniam, & gratiam, nisi*

diligeret, & desideraret illas. Omnia prædicta exigit in accedente ad sacramentum pænitentiæ, siue atteratur, siue conteratur, tamen relinquit deinde in dubio, an amor sit charitas, vel non: si enim pænitens sit contritus, erit stricta charitas: si tantùm attritus, non erit stricta charitas.

CXX. Durandus de S. Porciano in 4. d. 17. quæst. 1. num. 7. *Inconueniens esset, quod voluntate peccatoris à peccato non auersa remitteretur ei culpa; propter quod vt peccator sit dispositus ad iustificationem, requiritur duplex motus liberi arbitrij, vel vnus motus in duo, scilicet in Deum, & in peccatum, qualiter est commissum contra reuerentiam, & obedientiam diuinam*. Et nũ. 8. cum præmisisset de timore verba data superius addit: *Dispositio perfecta est, quando homo detestatur peccatum, non solum timore pœnæ, sed quia est contra reuerentiam, & obedientiam,*

& quia separat à Dei consortio, quem summè debemus diligere, & vocatur contritio. Talis dispositio est simul cum gratia in eodem instanti, sed ordine naturæ præcedit gratiam . . . Posita vltima dispositione per actum liberi arbitrij, statim à Deo infunditur gratia . . vltimata autem dispositio, quam potest facere liberum arbitrium, est motus contritionis, quantum ad essentiam actus.

CXXI. Dyonisius Carthusianus in comp. Theol. c. 136. *Pænitentię partes sunt contritio, Confessio, satisfactio, quæ ad esse perfectum pænitentiæ sacramentalis concurrunt, in qua exterior illa subiectio, qua confitens se subijcit Confessori per exteriora verba, & signa sunt signa interioris subiectionis, & recognitionis propriæ culpæ, qua se subijcit Deo. Denique ad pænitentiam veram requiritur, quod mens doleat de peccato, prout est offensiuum Dei, puta ex zelo iustitiæ non*

solum pœnæ timore, sed. & vera contritio non sine Charitate habetur, imo simul sunt tempore, quamuis secundum viam, & ordinem generationis præcedat contritio.

CXXII. S.Bernard. Senen. ser. 15. de vera confess. a. 1. c. 1. explicans primam confessionis præparationem, monet veraciter pænitentem, vt duo consideret, beneficia a Deo recepta, & mala in Deum commissa, ex quibus duobus facile satis prouocatur amor ipsius boni, magisque dilectio dantis bonum, qui Deus est.

CXXIII. Sanctus Antoninus 4. p. tit. 9. c. 6. *In iustificatione impij concurrunt quatuor per ordinem, simul quidē tempore, & si naturaliter, seu ordine naturæ vnū præcedat aliud, videlicet gratiæ infusio, motus liberi arbitrij in Deum; motus liberi arbitrij in peccati detestationem, remissio culpæ. Quæ secūdum Petrum de Tarantasia notantur in versiculo illo commouisti terram*

tuam, scilicet tu Domine, terram, idest peccatorem deditum terrenis. Et hoc, mouendo liberum arbitrium suum totum in te, vt in te credat, & te super omnia amet. Et §. 2. *Quod requiratur ad iustificationem motus liberi arbitrij in Deum, qui est per fidem formatam, patet per illud, quod dicit Christus Io. 6.* Omnis qui audit a Patre, & didicit, venit ad me, *sed addiscere non est sine motu liberi arbitrij: nam discens consentit docenti.... In eo, qui habet vsum liberi arbitrij, ita Deus infundit donum gratiæ, quod etiam simul cum hoc mouet liberum arbitrium ad donum gratiæ acceptãdum ...* Et *quia motus fidei non est perfectus, nisi sit charitate formatus, ideo in iustificatione, cum motu fidei est etiam motus charitatis, mouetur autem liberum arbitrium in Deum, ad hoc, quod se ei subiciat. Vnde etiam concurrit simul actus timoris filialis, & actus humilitatis.*

CXXIV. Ioannes Taulerus

l. 1. instit. c. 1. *Peccator, quia malam in creaturis voluptatem, ac delectationem quæsiuit, quam in solo Creatore quærere debuisset, ideò cum amara cordis sui contritione peccata deflere, & cum vero dolore, veroq; se emendandi proposito coram Sacerdote se accusare debet. Ceterum dolor iste, siue contritio, non ex seruili quodam timore, neque ex sensuali dolore cum amaritudine seipsum vel damnum suum, plusquam Dei iniuriam lugente procedet, sed dolor noster, atque Contritio diuina prorsus, & supernaturalis erit, quia videlicet homo pro peccatis suis dolens, plus omnipotentis Dei tam grauem, multiplicemque inhonorationem, contemptum, & offensam, quam suiipsius damnum ponderat, atq; deplorat. Ita contritio ex amore nascitur.*

CXXV Ioannes Maria Verratus in disputatione de pænitentia aduersus Lutheranos in concl. primæ tertia ratione *sicut iustificatio non est nisi Dei volentis, ita*

etiam

etiam non dat eam Deus nisi volenti, dũmodo sit in statu, vt consentire, & dissentire possit, velle autem consentire est motus liberi arbitrij. Et ratione quinta secundum generalem Dei ordinationem non est possibile aliquem adultum a peccato liberari sine actu amoris: nam quemadmodum in omni peccato fit auersio a Deo ad creaturam plus Deo dilectam, propter cuius dilectionem diuinum præceptum contemnitur. ita in conuersione necesse est se auertere a creatura, & peccato propter Deum, pro cuius amore creatura contemnitur. & conuertere se ad ipsum Deum super omnia diligendum. propter hoc Augustinus 14. de ciuit. Dei c. vlt. hos duos amores tanquã radices duarum ciuitatum, Iustorum scilicet, & Reproborum posuit, illius amorem Dei vsque ad contemptũ sui, & istius amorem sui vsq; ad contemptum Dei: vnde necessario sequitur, quod in iustificatione Impij relinquatur amor sui, & assumatur amor

Dei

Dei . . . Hoc idem confirmat Apostolus Ro. 6. Humanum dico vobis propter infirmitatem carnis vestræ sicut exhibuistis membra vestra seruire immunditię, & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitię, in sanctificationem, *quod rectius, & verius intelligitur de membris interioribus, intellectu, scilicet, & voluntate, quibus præcipuè seruiendum est iustitię quæ Christus est: sicut ergo illa membra auersa sunt a Deo ad iniquitatem in perpetrando mortale crimen, ita conuertenda sunt ad Deum. Hæc autē auersio, & conuersio fit contrarijs actibus voluntatis.*

CXXVI. Bellarminus serm. 2. de pænit. c. 7. totus est vt probet in contritione requiri formale propositum nouæ vitæ, quod ex dictis n. 75. importat amorem Dei propter se dilecti, & respondens ad quintam obiectionem ait illa verba Isaiæ 55. *Reuertatur ad*

Do-

Dominum nihil aliud significare, quam *vt impius Deum diligere; eiq; placere studeat.* Et c. 9. obijciens sibi quod in Sacramentis poterit quis iustificari sine detestatione peccati, respondet non posse, *quia qui propria volũtatis actione a Deo auersus per peccatum fuerat, non potest ad gratiam Dei censeri dispositus, nisi per contrariam actionem conuertatur ad Deum. Neque tamen necesse erit, vt pœnitentia, quæ Baptismum præcedit, contritionem illam perfectam contineat: quæ etiam sine Sacramento re ipsa suscepto, peccata omnia delet.* Et c. 14. ad quintam obiectionem: *Cathechumeni. & pœnitentes, si Christum super omnia diligunt, ac vera Dei Charitate flagrant, iam apud Deũ remissionem consecuti sunt.. Si autẽ per inchoatam dilectionem Dei (vt loquitur Tridentinum Sess. 6. c. 6.) paulatim disponuntur ad gratiam, non habent illi quidem remissionem peccatorum.* Sed nunquam

aptius

aptius, quam de iustificatione l. 1. c. 13. vbi annumerans dispositiones ad impetrandam gratiam, ponit primo fidem, secundo timorem: tertio spem: quarto dilectionem, quinto pænitentiam, seu detestationem peccati. Dilectionem verò dicit disponere, quia *statim ac aliquis incipit ab alio sperare beneficium, incipit etiam eũdem diligere vt benefactorem, atque Auctorem eius boni, quod sperat. Itaque qui sperat a Deo iustificationem incipit Deum diligere (vt Tridentinum loquitur) vt iustitiæ fontẽ.*

CXXVII. *Porrò dilectionem aliquam priorem esse remissione peccatorm, vel tempore, si sit dilectio imperfecta, vel certè naturà, si sit perfecta, & ex toto corde atque ad eam disponere, docet in primis Ecclasiasticus c. 2. nam postea quam dixit.* Qui timetis Dominum, *addit* diligite illum, & illuminabuntur corda vestra. *Docet deinde etiam ipse Saluator, dum dicit Lucæ* 7.

Re-

Remissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum. *Docet quoque Apostolus Gal.* 5. Neque Circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides, quæ per dilectionem operatur. *Docet item Joannes ep.1. c. 3. dicens* Translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. *Denique Concilium Arausicanum can. vlt.* Deus *inquit*, fidem, & amorem sui prius inspirat, vt Sacramenta Baptismi fideliter requiramus.

CXXVIII. *At adijciunt aduersarij pauca quædam, vt probent dilecti onem priorem esse iustificatione, nam prius diligit nos Deus, quam nos diligimus Deum. Deus diligens iustificat, quem diligit, quia dilectio eius non est inanis, sed efficax Item nemo diligit Deum, nisi Spiritum Sanctum habeat inhabitantem iuxta illud Rom.* 5. Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis. *At nemo Spiritum San-*

ctum

ctum habet inhabitantem, nisi sit iustus, igitur nemo diligit Deum, nisi iustificatus. Denique non potest aliquis Deum diligere, nisi credat eum sibi placitum. Iratum enim odit potius, quam diligit, & pax oritur ex iustificatione facta iuxtà illud Ro. 3. Iustificati ergo ex fide pacem habeamus ad Deum.

CXXIX. *Respondeo ad 1. Deus prior diligit nos, & diligendo facit iustos, sed paulatim, & per certa media, quos enim diligit, primum vocat ad fidem, tum spem, & timorem, & dilectionem incboatam inspirat. Ad 2. Nemo diligit Deum ex toto corde, & perfecte, vt eius dilectio proprie charitas dici possit, nisi Spiritum Sanctum inhabitantem habeat, tamen imperfecta, & incboata dilectio, sine Spiritu Sancto inhabitante haberi potest, quamuis non sine auxilio Dei speciali. Ad 3. falsum est non posse diligi Deum iratum, præsertim si quis credat illum iustè esse iratum, &*

ta.

tamen propensum esse ad clementiā, & speret breui placandum. Aliud autem est pax, aliud dilectio, & fieri potest, vt quis diligat eum quē læsit, & cum quo pacem inire cupit, quamuis nondum ei reconciliatus sit. Itaque rectè dicit Apostolus, pacem ad Deum per iustificationem acquiri, sed non negat ante iustificationem incboari dilectionem.



CA-

CAPVT XI.

Recapitulatur Summa dictorum in duplici præcedenti Capite.

CXXX. VIdere est ex huc vſque deductis, Scholaſticos antquos in eo conueniſſe, vt amorem aliquẽ Dei propter ſe dilecti necceſſarium i dicauerint in iuſtificatione impij etiam per Sacramenta. Imò qui rem penitus examinarunt Alexander de Ales, Albertus Magnus, S. Thomas, & S. Bonauentura, vnanimiter agnouerunt vltimam diſpoſitionem ad impetrandam gratiam eſſe debere motum liberi Arbitrij in Deum, & in peccatum, charitate formatum, ita vt iſte motus ſit natura poſterior gratia, & charitate in genere

nere causæ efficientis, prior verò in genere causæ materialis, cum tamen simul sint tempore. Hoc autem non est adeò durum, vt fortè videri poterit prima facie, si eorum dicta perpendantur; etenim volunt hunc motum charitate perfectum in Deum, esse actum illum, quo homo consentit se subijcere gratię, & Spiritui Sancto per gratiam animam inhabitanti, quem etiam dicunt esse actũ doni timoris, & humilitatis virtutis, nec videtur id posse negari cum Deo hominem subijcere spectet æquè ad virtutem humilitatis, & ad donum timoris, qui correspondet ex S. Thoma 2. 2. q. 141. a. 1. ad 3. secundario temperantiæ, cuius pars potentialis est humilitas. Quod autem omnis adultus, si sit compos sui, debeat, dum illi infunditur gratia, acceptare gratiam, seu quod idem est, se subijcere gratiæ; videtur etiam ab ijsdem magistris suf-

sufficienter probatum; quod si tunc dormiat, vel sit amens communiter etiam, siue antiqui, siue moderni conueniunt non posse baptizari, nisi quando erat sui compos, ostenderit desiderium se baptizandi, seu quod idem est, se iustificandi per Sacramentum, & se Christo incorporandi; in quo casu Sacramentum operatur gratiam ex virtute illius desiderij.

CXXXI Quare omnes qui iustificantur per Sacramenta, dum hæc actu suscipiunt, volunt eo ipso suscipere; & quidem ad effectum se iustificandi, seu quod idē est, se subijciendi Deo, eiusque gratiæ; nec in contrarium officit, quod multi vellent se subijcere gratiæ, qui tamen non iustificantur; sunt enim actus imperfecti in linea amoris, quare sicuti non omnis amor iustificat, sed solum perfectus, ita non omnis voluntas subijciendi se gratię iustificat, sed solum perfecta.

CXXXII. Licet autem pęnitens non explicet huiusmodi motum sui liberi arbitrij in Deum, per formalitates amoris, & similes, verè tamen iste est actus charitatis primarius, quo creatura eligit sibi Deum vt finem vltimũ. Per hoc enim, quod quis alteri se subijcit, constituit illum, vt suum motorem, & directorem; & suppono, quod Deo se homo subijciat in omnibus, & per omnia; itaut velit seruare diuina mandata saltem quæ obligant sub mortali, quod est nolle amplius constituere finem vltimum in se ipso, sed in Deo.

CXXXIII. Hunc actum vltimo dispositiuum ad gratiam, seù primarium charitatis, non tenetur semper homo habere antequã accedat ad Sacramenta, ad quæ potest accedere cum solo actu attritionis explicatæ supra Quod expresse concedunt prędicti Doctores, S. Bonau, in 4, d. 17. a. 1. q. 4.

q. 4. ait. *Sicut Sacramẽta augmentata per gratiam, non habent efficaciam, nisi in eis, qui se disponunt; & sicut dictum est in præcedentibus, quod non tenemur ad Eucharistiam accedere cum charitate secundum veritatem, sed sufficit secundum probabilitatem, ita dico quod ad Sacramentum penitentiæ non est neccesse, quod accedat habẽs charitatem, vel dispositionem ad charitatem sufficientem secundum veritatem, sed sufficit secundum probabilitatem. Hæc autẽ dispositio attritio est, quæ frequenter ob confessionem superadiunctam, & absolutionem Sacerdotis firmatur per gratiam, vt fiat contritio, siuè vt ad ipsam contritio subsequatur.* Hic Seraphicus loquitur iuxta sua principia, iuxtà quæ tenebat attritionem gratia superueniente fieri posse contritionem; Additq; frequenter contingere, vt homo accedens cum sola attritione, quę non est vltima dispositio ad gratiam ex vi confessionis, & absolutio.

lutionis sacramentalis obtineat gratiam, imo & contritionem, quæ est vltima dispositio ad gratiam: verissimum dictum, sicut enim per indulgentias applicantur nobis sactisfactiones Christi, & Sanctorum, ita quod vbi nostrorum operum sactisfactiones non poterant nobis mereri remissionem tantæ pœnæ, quantę consequimur applicatà satisfactione Christi, ita per virtutem Sacramentalem existentem in absolutione, quæ est forma Sacramenti, & in confessione, quæ est materia, applicatur nobis Sanguis Christi ad remissionem culpæ ex opere operato, ita vt illa duò habeant esse instrumenta partialia sanguinis Christi instrumentaliter in nobis efficientia ad gratiam, & vltimam dispositionem ad gratiam.

CXXXIV. Posse etiam impium accedere ad Sacramentum sine charitate, seu sine illo motu liberi arbitrij ad subijciendum se

Deo, eo modo, quo requiritur ad impetrandam gratiam, docet S. Thomas in. 4. d. 17. q. 3. a. 4. q. 1. vbi ponit Sacramentum pænitentiæ informe dicens, quod *vt pars Sacramenti est cõfessio, potest esse in eo, qui non est contritus; & quamuis tunc non percipiat absolutionis fructum, tamen recedente fictione percipiet, sicut etiam est in alijs Sacramentis.* Quanquam enim attritio præcedens tempore Sacramẽtum ex eodem adducto supra debeat oriri ex aliquo ĩperfecto Dei amore tamẽ sine culpa pęnitentis, potest contingere, quod sit adeò imperfectus, vt merita Christi per Sacramentum applicata non habeant eleuare animã ad producendam vltimam dispositionem gratiæ: sicut enim in indulgentijs, vt satisfactio Christi operetur remissionem pęnę, requiritur aliqua determinata dispositio ex parte nostra, quæ si non ascendat ad gradum a Deo con-

constitutum, Sanguis Christi non operatur remissionem pænæ, ità in Sacramentis Deus quidem non exigit ex parte nostra vltimam dispositionem ad gratiam, sed tamen exigit aliquam determinatam, sibi benè notam, quæ si adsit, per virtutem Sacramenti operatur & gratiam; si absit sine nostra culpa, tunc quidem non operatur vltimam dispositionem præuiam a se exigitam, vt operetur gratiam.

CXXXV. Eadem repetit a. 5. q. 1. vbi quærens an confessio liberet a reatu culpæ, seu morte peccati, respondet affirmatiuè addēs *dicendum de confessione adiuncta absolutione, quod secundum quod in voto pænitentis præcessit, a culpa liberauit: postmodum autem in actu confessionis, & absolutionis, gratia augetur, & etiam remissio peccatorum daretur, si dolor præcedens de peccatis ad contritionem non fuisset sufficiens, & ipse tunc obicem gra-*

tiæ non prgberet Et dis.18.q.1.a.3.q.1. *Si ante absolutionem aliquis non fuisset perfectè dispositus ad suscipiendam gratiam, in ipsa confessione, & absolutione Sacramentali gratiam consequeretur si obicem non poneret. Si enim clauis nullo modo ad culpæ remissionem ordinaretur, non exigeretur votum suscipiendi effectum clauis ad culpę remissionem. sicut non exigitur votum sucipiendi alia Sacramenta, quæ non ordinantur ad culpam, sed contrà pænam, Sed hoc facit videri quod non ordinantur ad culpæ remissionem, quia semper vsus clauium. vt habeat effectum, requirit præparationem ex parte recipientis Sacramentum; & similiter videretur, de Baptismo, si non daretur, nisi adultis.*

CXXXVI. Et ita correxit Angelicus, quod plures antiqui senserant cum Magistro Sententiarum, & Vgone de S. Victore, scilicet pænitentiæ Sacramentum qua tale non habere vim in culpam,


pam,

pam, sed tantum in pænam temporalem, cui communiter adhęſerunt Scholaſtici ſequentes, quibus pro certo fuit Sacramentum pęnitentiæ de ſe habere vim, & efficaciam in remiſſionem culpæ, & infuſionem gratię, ad quam concurrat in genere cauſæ efficientis inſtrumentalis attingendo, & gratiam, & vltimam diſpoſitionem ad gratiam, in ijs, qui non iuſtificati accedunt ad Sacramentum, ſi habent neceſſaria ad recipiendum effectum Sacramenti. Et hanc efficaciam Sacramenti in remiſſionem culpæ conſtat fuiſſe ſuſceptam à totà Eccleſià; etenim Tridentina Synodus ſeſs. 14. can. 3. ait, *Si quis dixerit verba illa Domini Saluatoris Io. 20.* Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, quorum retinueritis, retenta ſunt; *non eſſe intelligenda de poteſtate remittendi; & retinendi peccata in Sacramento pænitentiæ: ſicut Eccle-*

sia Catholica ab initio semper intellexit. detorserit autem &c. anathema sit.

CXXXVII. Adhuc tamen fateor me in hac dissertatione non preintendere ad asserendam hanc necessitatem prædicti consensus in gratiam pro eodem instanti, quo impius iustificatur. Probabo vtique inferius huiusmodi cõsensum esse de mente Tridentini; nihilominus quod intendo, est, hominem non posse iustificari sine vllo Dei amore propter se dilecti, siue tandem huiusmodi amor sit perfectus, & habens existere pro eodem instanti, quo homo iustificatur, siue sit imperfectus, aut præcedens tempore iustificationem, ita tamen, quod ex vi illius amoris imperetur susceptio Sacramenti; quare dupliciter procedo: timorem pænæ assero non posse vltimò disponere, & amorem Dei propter se dilecti statuo intercedere debere; qui amor

mor an perfectus esse debeat modo explicato; an imperfectus esse possit, non officit meæ assertioni, quia complures Theologi non satis distinxerunt huiusmodi duos amores, licet quatuor illa Theologiæ lumina S. Thomas, S. Bonauentura, Albertus Magnus, & Alexander de Ales, quos alij non nulli fuere secuti, rem pænitus examinantes censuerint pro eodem instanti cum gratia ex parte Dei, ponendum esse ex parte hominis, qui sit sui compos, consensum, & acceptationem voluntariam gratiæ, vnde se subijciat eidem, & Spiritui Sancto animam per illam inhabitanti. Quorum Doctorum rationes si sunt efficaces pro amore perfecto, efficaciores sint pro amore saltem imperfecto.



CAPVT XII.

Necessitas Amoris Dei propter se dilecti ad impetrandam gratiam in Sacramentis mortuorum videtur colligi ex Tridentino.

CXXXVIII. HÆc Sacrosancta Synodus sess. 6. c. 5. tractat de necessitate præparationis ad iustificationem in adultis, & vnde sit, in hæc verba: *Declarat ipsius iustificationis exordium in adultis a Dei per Iesum Christum præueniente gratia sumendum esse, hoc est, ab eius vocatione, qua nullis eorum existentibus meritis; vocantur, vt qui per peccata a Deo auersi erant: per eius excitantem, atque adiuuantem gratiam ad conuertendum se ad suam ipsorum iustificationem, eidem gra-*

gratiæ liberè assentiendo, & cooperando disponantur; Et can.4. *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium a Deo motum, & excitatum, nihil cooperari assentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quo ad obtinendam iustificationis gratiam se disponat, ac præparet . . anathema sit.* In his verbis voluerunt Patres homines se disponere ad iustificationis gratiam, & se disponere, per hoc, quod libere assentiant, & cooperentur diuinæ gratiæ eos excitanti, atque adiuuanti; quare per Synodũ iste liber assensus, & cooperatio est dispositio. Solum restat videndum, quid veniat nomine gratiæ adiuuantis, cui assentiendo, & cooperando disponimur, & præparamur ad iustificationis gratiam, an scilicet, veniat solum donum gratiæ actualis, an etiam donum gratiæ habitualis. Sanè non potest obijci Synodum intellexisse solum gratiam actualem, ex eo, quod addiderit per coope-

rationem, & assensum nos disponi ad gratiam iustificationis, seu gratiam habitualem. Pluries enim supra ex antiquis Doctoribus ostensum est motum liberi arbitrij, quo homo consentit gratiæ iustificanti esse dispositionem ad hanc gratiam, etiam si in genere causæ efficientis procedat ab hac gratia; quarè si alias proprie loquendo, nomine gratiæ adiuuantis veniat gratia habitualis, vniuersalis doctrina Concilij videbitur exigere, quod liber assensus, & cooperatio gratiæ iustificanti sit dispositio ad ipsam gratiam iustificantem & sic prior in vno genere gratia iustificante; quanquam posterior in alio causæ efficientis: Et quidem nomine gratiæ adiuuantis venire verè, & proprie gratiam operantem, & cooperantem expresse docet S. Thomas 1. 2. q. 111. a. 2. ad 3. his verbis. *Homo per gratiã operantem adiuuatur a Deo; vt bonum velit; & ideo*

præ-

præsupposito iam fine, consequens est, vt nobis gratia cooperetur quare gratia operans verè, & propriè est gratia adiuuans : nomine verò gratiæ operantis idem ibidem in corpore articuli docet venire non solum gratiam actualem, sed etiā habitualem : *Gratia*, inquit, *dupliciter potest intelligi : vno modo diuinum auxilium . . . Alio modo habituale donum nobis diuinitus inditum . . . Sic igitur habitualis gratia, in quantum animam sanat, vel iustificat, siue gratam Deo facit, dicitur gratia operans: in quãtum verò est principium operis meritorij, quod ex libero arbitrio procedit, dicitur gratia cooperans*. Ex quibus habes gratiam habitualem vere coincidere cum aliqua gratia adiuuante, & quæ operatur, iuxtà diuersos effectus, quos habet in nobis. Quare cum Synodus vniuersaliter dicat liberum assensum, & cooperationem gratiæ adiuuanti esse dispositionem

ad gratiam iustificationis, videtur, quod omnis huiusmodi assensus omni gratiæ adiuuanti sit dispositio ad iustificationis gratiam; cumque gratia habitualis sit verè, & propriè gratia adiuuās, assensus gratiæ habituali erit dispositio ad ipsam gratiam habitualem, quę est iustificationis gratia, qui assensus gratiæ habitualis quia est in eodem instanti cum gratia habituali, ab ea depēdens in genere causæ efficientis, erit vltima dispositio ad gratiam, iuxta regulam vniuersalem S. Thomę, quod vltima dispositio ad formam procedat ab ipsa forma. Et quia doctrina Concilij amplectitur vniuersaliter omnem iustificationem, etiam quę habetur per Sacramenta, ideo etiam ad istam homines disponentur per liberum assensum, & cooperationem gratiæ iustificanti, qui liber assensus quia procedit a gratia, est charitate formatus, &

propte-

propterea inde desumunt robur suæ sententiæ Doctores antiqui, qui dixerunt vltimam dispositionem ad gratiam debere esse motum liberi arbitrij, seu contritionem charitate perfectam, in sensu tamen semper explicito.

CXXXIX. Sed in vniuersali Synodus tradens dispositiones ad iustificationem neecessarias ait ibidem c. 6. *Disponuntur ad ipsam iustitiam, dum excitati diuina gratia, & adiuti, fidem ex auditu concipientes liberè mouentur in Deum, credentes vera esse, quæ diuinitus reuelata sunt, & promissa; atque illud in primis a Deo iustificari impium per gratiam eius, per redemptionẽ quæ est in Christo Iesu, & dum peccatores se esse intelligentes a diuinæ iustitiæ timore, quo vtiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se conuertendo in spẽ eriguntur fidentes Deum sibi propitium fore, illumque tanquam omnis iustitiæ fontem diligere incipiunt, ac*

propte-

propterea mouentur aduersus peccata per odium aliquod, & detestationem, hoc est, per eam pænitentiam quam ante Baptismum agere oportet; denique dum proponunt suscipere Baptismum, inchoare nouam vitam, & seruare diuina mandata; de hac dispositione scriptũ est Hæbr. 11, Accedentem ad Deum oportet credere quia est, & quod inquirentibus se remunerator sit, & *Matth.* 7. Confide fili remittuntur tibi peccata tua. & *Act.* 2. Pænitentiam agite: baptizetur vnusquisque vestrum in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum, & accipietis donum Spiritus Sancti, & *Matth.* 28: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eas in nomine Patris; & Filij, & Spiritus Sancti, docentes eos seruare quæcumque mandaui vobis. *Denique* 1. *Reg.* 7. Pręparate corda vestra Domino. Et c. 7. vbi quærit, quæ sit iustificatio impij, & quæ eius cau-

causæ, addit: *Hanc dispositionem, seu præparationem iustificatio ipsa consequitur . . . Huius iustificationis causæ sunt . . . instrumentalis Sacramentum Baptismi* Et can. 3. *Si quis dixerit sine præueniente Spiritus Sancti inspiratione, atque eius adiutorio hominem credere, sperare, diligere, aut pænitere posse, sicut oportet, vt sei gratia iustificationis conferatur, anathema sit.*

CXXXX. In hac doctrina mirabile est, quod eam Synodus videtur de verbo ad verbum desumpsisse ex S. Thoma, quem adduxi n. 10. cum ea tantum differentia; quod Angelicus loquitur de dispositionibus ad iustificationem requisitis in peccatore fideli: eam verò Synodus applicat etiam ad infidelem. Et prima omnium preparatio vbique ponitur excitatio Dei; eam non expectat a nobis Deus, probè sciens nos carere viribus ad resurgendum. Hęc excitatio propterea a S. Thoma

ma dicitur *primum principium, &* *operatio Dei mouentis cor secundum* *illud Thren. vlt.* Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur: traditque in 1.2.q. 113. a.8.quod *in quolibet motu naturaliter primũ est motio mouentis.* secundo ait Synodus *fidem ex auditu concipientes*, & S. Thomas *secundus actus est motus fidei*, innuiturque notitia supernaturalis omninò prærequisita, vt ad eam sequatur supernaturalis inclinatio potentiæ appetitiuæ, quia forma, & principium formæ debent esse in eodem ordine; Synodus autem per subsequentia explicat, quorum debeat esse prærequisita notitia: debet enĩ iustificandus cognoscere saltem primas causas, & prima instrumenta suæ iustificationis; debet cognoscere primum medicum, qui est vniuersalis causa sanationis omnium, & secundum Medicum, qui est causa proxima huiusce sanationis. Vniuersalissima est Deus:

pri-

prima causa moralis est Christus: prima instrumentalis passio Christi: tertio per illa verba *dum peccatores se esse intelligentes a diuinæ iustitiæ timore* &c. innuit timorem seruilem, diciturque ab Angelico, *tertius motus, quo quis timore suplicij a peccatis retrahitur*, & est primus motus voluntatis, cum fides sit in intellectu, ad quã fidem subsequens timor hic debet esse supernaturalis de se, quia in eodem ordine sunt causæ, & effectus: quare cum fides, quæ est causa, sit supernaturalis, erit etiam supernaturalis timor, qui est effectus: debet autem ordinariè loquendo, intercedere timor iste, quia iustificatio est recessus a peccato ad gratiam, & in omni huiusmodi motu prius intelligitur recessus à termino antiquo, quam accessus ad terminum nouum, ex parte mobilis.

CXXXXI. Quatuor per illa ver-

verba *ad considerandam Dei misericordiam se conuuertendo* innuitur cognitio practica intellectus, prerequisita, vt mobile acedat ad nouum terminum. Eius mentionem S. Thomas omittit, quia post fidem enumerat solos actus voluntatis; quinto per illa *in spem eriguntur* innuitur motus imperfectus voluntatis erga Deum, antequã ei plenè accedat: etenim mobile, non transit de extremo ad extremum, nisi transeundo per medium; quarè iuxtà rationem creaturæ de imperfecto ascendentis ad perfectum, prius imperfectè Deum peccator attingit; diciturque à S. Thoma *quartus motus, quo quis sub spe veniæ* consequendæ assumit propositum emendandi, Vt autem Deum perfectè attingat per iustificationem, requiritur amor Dei propter se dilecti insinuatus a Synodo illis verbis *illum tanquam omnis iustitiæ fontem diligere incipiunt*. Et nota Deum

um esse fontem bonorum temporalium, fontem omnis veritatis reuelatæ, fontem omnis mercedis supernaturalis a nobis speratę, & à Deo promissæ, fontem omnis iustitiæ ab homine participabilis per gratiam, & gloriam, seu conuictum in exercendo operationes diuinas. Ad iustificationem non sufficit amor Dei, vt fons est bonorum temporalium, quia hic est amor naturalis; neque amor Dei, vt fons est veritatum reuelatarum, quia hic est illa pia affectio ergà Deum, quæ reperitur in omni peccatore fideli. Peccator item, qui habet spem, amat Deum tanquã fontem pręmij supernaturalis, quia motus spei existens in irascibili, supponit motum existentem in concupiscibili, qui est amor, vtpote prima omnium passionum, & Synodus dicit *diligere incipiunt* vt innuat affectum beneuolentię, qui non est amicitia, seu

di

dilectio stricta, sed principium amicitiæ, talisque dilectionis.

CXXXXII. Qui tamen actus beneuolentię, vt significetur non esse otiosus, addit *propterea mouentur aduersus peccata &c.* vbi particula *propterea* insinuat propter talem amorem, seu ex vi illius hominem moueri ad detestanda peccata, ad propositum suscipiendi baptismum, & seruandi diuina mandata, inchoandi nouam vitã. At S. Thomas nominat quinto loco actum charitatis, *quo alicui peccatũ displicet propter se ipsũ* (scilicet quia habet formaliter separare à Deo) *at non propter suplicia* scilicet non propter pęnas, quas causat: & sic includit actum illum dilectionis, quem Synodus expressit, & simul displicentiam peccatorum, quam ex Synodo debet causare amor prædictus. Sextò tandem exprimit actũ timoris filialis, quo propter reuerentiam

Dei

Dei aliquis emendam Deo volũtarius offert; & quia timor iſte dicit, quod homo ſe ſubijciat Deo; eſt propterea vltimus ille motus, quo vt Synodus loquitur, diſponit & præparat ſe homo ad iuſtificationem, liberè aſſentiendo gratię habituali. *Hanc autem diſpoſitionem, ſeu præparationem iuſtificatio ipſa conſequitur, quæ non eſt* (inquit Tridentinum c.7.) *ſola peccatorum remiſſio, ſed & ſanctificatio, & renouatio interioris hominis per voluntariã ſuſceptionẽ gratiæ, & donorũ; vnde ex iniuſto fit iuſtus, & ex inimico amicus* & notandum quod ſufficienter in præcedentibus expreſſa fuerat cauſalitas huius voluntarię ſuſceptionis in gratiam per illa verba *cooperando diſponuntur*; nihilominus vt eo magis appareret, voluit iterum innuere illà duplici particula *per voluntariam gratiæ ſuſceptionem*, & *vnde ex iniuſto fit iuſtus*; etenim vtraque, & ly *per* & ly *vnde*

de denotat aliquid causalitatis; quarè voluntaria gratię susceptio influit in ipsam gratiam, per modum dispositionis, eritque dicenda vltima dispositio, quia voluntaria gratiæ susceptio est in eodē instanti cum infusione gratię. Explicatis autem dispositionibus, assignat cæteras causas; & inter instrumentales enumerat Sacramentum Baptismi; vnde eliciatur Synodus expressisse iustificationem ordinariam, quæ habeatur per Sacramenta mortuorum.

CXXXXIII. Eandem alicuius amoris Dei propter se dilecti neccessitatem insinuarunt prædicti Patres in can. 3. per hæc verba concepto. *Si quis dixerit sine præueniente Spiritus S. inspiratione, atque eius adiutorio hominem credere, sperare, aut pœnitere posse, sicut oportet, vt ei iustificationis gratia conferatur, anathema sit*. Vbi latenter supponit

ponit

ponit, ad iustificationis gratiam obtinendam neccessaria esse illa quatuor, credere, sperare, diligere, & pænitere sicut oportet. Cęterum quia textus non est expressus, in eo non immoror, cum clarissimus sit ille de susceptione baptismi; in cuius susceptione, si necessario debet interuenire amor Dei, multo magis ręquiretur in Sacramento Pęnitentię, quod est Baptisma laboriosum Ad hoc plurimum facit Cardinalis Pallauicinus in hist. Concilij l. 8. c. 13. n. 13. referens in decreto per me dato supra *Non fuisse expræssum Dei amorem, cum primo propositum fuit Patribus; qui moniti propterea fuerunt per Saluatorem Alepum Archi-Præsulem Calaritanum, Claudium Iayum Societatis Iesu, Lipomanum coadiutorem Veronensem, & Pium Conuentualium Generalem, vt inserereretur aliquis dilectionis actus quorum insinuationem commendarunt*

funt tres] supra viginti Patres ; & ita formarunt nouum decretum. Additio huiusmodi postmodum Patribus non placuit, quam tamen Theologi defenderunt, sustinueruntque scribentes : Non loquimur hic de habitu charitatis ; verum quia in particula de pęnitentia nulla fit amoris mentio, visum est illum coniungere actibus fidei, & spei ; Si enim pænitentia tota esset ex timore, non ex amore iustitię, orireturque dolor vnicè ex timore pænæ, non ex eo, quod esset Deus offensus, infructuosa foret huiusmodi pęnitentia. *Acta etiam in Arce Sancti Angeli seruata innuunt quandam Congregatiouem Præsulum Theologorum, vbi inseruntur hæc verba :* Pariter propositum, an detestatio peccati in præparatione pręcedat spem, & post longum examen, conuenerunt, quod esto detestatio aliqua spem pręcedat

dat, tamen quę disponit ad iustificationem, commemorata capite sexto, quia non potest contingere sine aliqua spe, & dilectione, sequitur spem.



CAPVT XIII.

Affertur prima ratio ad probandam necessitatem amoris Dei in Sacramento pœnitentiæ ex eo nempè, quod Deus ad rationem Sacramenti eleuauit virtutem Penitentiæ.

CXXXXIV. VT docet Cathechismus Romanus p. 2. c. 5. n. 11. *Sacramentum Pœnitentiæ consistit in externa pœnitentia, habetque res quasdam externas sensibus subiectas; quibus declarantur ea, quæ interius in anima fiunt*; nihilominus, vt ait n. 4. *huius virtutis actiones tanquam materiam prębent, in qua pœnitentiæ Sacramentum versatur, ac nisi prius quid sit pœnitentiæ virtus intelligatur, Sacramen-*

menti etiam vim ignorari necesse est. Propterea Scholastici communiter tractant simul, & semel de pęnitentia vt virtute, & vt Sacramento; & primo quidem examinatur, vt virtus est, quatenus, vt talis, est substratum Sacramenti, seu præbens illius materiam, quorum doctrinam quia contemnebant Nouatores negantes tres esse pęnitentię partes, veluti canonizauit Tridentina Synodus docens sessione 14. c. 3. quod *sunt quasi materia Sacramenti, ipsius pænitentis actus nempe contritio, confessio, & satisfactio, qui quatenus in pænitente ad integritatem Sacramenti, ad plenamque, & perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur, hac ratione partes pænitentiæ dicuntur*, Ad quam dispositionem Cathechismus Romanus p. 2. c. 5. n, 14. *Neque vero hi actus, quasi materia a Sancta Synodo apellantur, quia veræ materiæ*

rationem non habent, sed quia eius generis materia non sunt, quę extrinsecus adhibeatur, vt aqua in Baptismo, & Chrisma in Confirmatione, quod autem ab alijs dictum est, peccata ipsa huius Sacramenti materiã esse, nihil plane contrarium dici videbitur, si diligenter attendamus. Vt enim ignis materiam ligna esse dicimus; quæ vi ignis consumuntur, ita peccata, quæ pænitentia delentur, recte huius Sacramanti materia videri possunt. Explicantque Scholastici dicentes peccata esse materiam remotam, & actus pænitentis mareriam proximam.

CXXXXV. *Quod autem intima hæc penitentia* (ait idem Cathechismus n. 7.) *ad virtutem pertineat, apertè ostendunt multa, quæ de pænitentia tradita sunt præcepta: lex enim de ijs tantun actionibus, quæ suscipiuntur cum virtute præcipit. Negare præterea nemo potest, quin dolere quando, & quatenus oportet, virtutis sit. Hoc autem*

tem vt recte fiat : pænitentiæ virtus præstat. . & vt modum in dolore tenere possimus, pænitentiæ virtute adiuuamur. quę propterea n. 10. dicitur *existimanda* diuina, & cœlestis virtus. Habet autem "rationem virtutis pænitentia, inquit S. Thomas 3. p. q. 85. a. 1. ad 3. quia *dolor eius est displicentia, seu reprobatio facti præteriti cum intentione remouendi sequelam ipsius, scilicet offensam Dei & reatum pænæ*. In quibus verbis vtique concedit, quod pęnitentia possit respicere ad tollendum reatum pęnæ, sed primo nominat offensam Dei, adeo, vt principaliter ad hoc tendere debeat & a. 2. *in pænitentia inuenitur specialis ratio actus laudabilis scilicet operari ad destructionem peccati præteriti in quantum est Dei offensa; quod non pertinet ad rationem alterius virtutis; vnde necesse est ponere, quod pænitentia sit specialis virtus* Et in 4. d. 14. q. 1. a. 1. q. 3. *Alij dicunt, quod*

 vir-

virtus pænitentiæ *specificatur ex hoc, quod detestatur peccatum sub spe veniæ, sed hoc non potest esse, quia nulla virtus respicit speciem ex hoc, quod imperatur ab alia virtute, quod autem dicitur ex spe veniæ, nihil aliud dicit; quam imperium spei: Vnde ex hoc non haberet, quod esset specialis virtus, sicut nec actus castitatis propter hoc, quod a charitate imperatur, speciem recipit virtutis specialis. Ideo dicendum, quod pænitentia accipit specialem rationem obiecti ex hoc, quo drespicit peccatum a se cõmissum, vt expiabile per pænitentis actum. Et ità actus pænitẽtiæ non est detestari peccatum absolute, quia hoc est cuiuslibet virtutis, sed detestari aliquid vt expiabile per actionem eius: & quantum ad culpam* (quæ formaliter importat auersionem a Deo,) *& quantum ad reatum*. Vbi ad 4. addit Philosophos non egisse de virtute pænitentiæ, *quia non considerauerunt* virtutes dirigentes in

actibus

actibus humanis, prout ordinantur ad Dei prouidentiam; sed prout ordinantur ad bonum humanum: similiter q. 4. ponit pænitentiam non esse virtutẽ Theologicam, quia *virtus Theologica habet idem pro obiecto, & pro fine. Hoc autem non est in pœnitentia, quia obiectum eius est peccatum cõmissum, quod intendit expiare, finis autem est Deus, cui intendit reconcilliare.*

CXXXXXVI. Nec hic est sensus vnius Angelici, sed videtur idem sentire Romana Ecclesia, quæ propterea in suo Cathechismo p. 2. c. 5. n. 5. dicit: *Hortandi sunt fideles, vt omni contentione, & studio in intima animi pænitentia, quam virtutem dicimus, elaborent, sine qua, ea, quę extrinsecus adhibetur, parum admodum profutura est: intima autem animi pænitentia est illa, cum ad Deum nos ex animo conuertimur, & commissa a nobis scelera detestamur.* Et

n. 8. explicans quomodo is, quem verè pænitet, affectus esse debeat; ait *Id ex ijs rebus colligi potest, quas sibi tanquam finem proponit is, quem vere peccati pænitet*; enumeratisque primum proposito peccatum abolendi, omnemque animæ culpam, & maculam (vtique in ratione culpæ, & maculæ) quarum ratio inuoluit formalem auersionem à Deo; secundum, propositum Deo satisfaciendi; concludit tertium finem esse, *vt in Dei gratiam redeat*. Et n. 9. explicaturus *quibus veluti gradibus ad diuinam illam pœnitentiæ virtutem ascendatur*, enumerat omnes dispositiones ex Tridentino pro iustificatione supra assignatas, motionis diuinæ, fidei, timoris seruilis, spei; *Postremo* inquit *charitate corda nostra accenduntur, ex qua liberalis ille timor probis, & ingenuis filijs dignus oritur. Atque ita illud vnum veriti, ne qua in re Dei Maiestatem*

em lędamus, peccandi consuetudinem omnino deserimus: Hisce igitur quasi gradibus ad hanc præstantissimam pænitentię virtutem peruenitur.

CXXXXVII. Vniuersalis autem Ecclesię sensus colligitur ex Tridentino Sessione 14. c. 1. vbi hæc habentur: *Fuit pænitentia vniuersis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinassent, quouis tempore ad gratiam, & iustitiam assequendam necessaria, illis etiam, qui baptismi Sacramento ablui petiuissent, vt peruersitate abiecta, & emendata, tantam Dei offensionem cum peccati odio, & pio animi dolore detestarentur. Vnde Propheta ait Ezech. 18.* Conuertimini, & agite pænitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis in ruinam iniquitas. *Dominus etiam Luc. 23. dixit* Nisi pęnitentiam egeritis, omnes simul peribitis. *Et Princeps Apostolorum Petrus peccatoribus Ba-*

ptiſmo initiandis pænitentiam commendans dicebat Act. 2. Pœnitentiam agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrum. In quo capite cum Synodus loquatur de neceſſitate, & inſtitutione Sacramenti pænitentiæ multipliciter colligitur, quod voluerit internam pænitentiam, quæ eſt materia Sacramenti, eſſe virtutem, quæ pro fine habeat Deum. Primo enim dicit pænitentiam Sacramentalē Eccleſię, licet non ſemper ſit Sacramentum, tamen fuiſſe neceſſariam quouis tempore; cumque quouis tempore ad gratiam recuperandam fuerit neceſſaria virtus pænitentię, etiam nunc iſta virtus eſt neceſſaria, & iſta virtus in Eccleſia eſt Sacramentum: ſecundo eſt neceſſaria etiam ante baptiſmum; cumque minus non exigatur a non baptizato, vt recipiat gratiam, quam a baptizato vt recuperet: ſi pænitentia ante Baptiſmum debet eſſe actus

virt-

virtutis, multo magis erit virtus pænitentia post Baptismum; tertio debet penitentia detestari *offensam Dei* vtique qua talem; & hoc debet fieri *cum pio animi dolore*. Videamus iam quid importet pietas, quam debet inuoluere dolor de peccato; & quidem *more vulgi*, inquit Augustinus 10. de Ciuit. Dei c. 1. *nomen pietatis etiam in operibus misericordiæ frequentatur: quod ideo arbitror euenisse, quia hæc fieri præcipue mandat Deus, eaque sibi præ sacrificijs placere testatur*. Synodus autem non expressit pietatē in hac vulgi acceptione; nec enim necessaria sunt opera misericordiæ in detestatione peccati; secundo ait S. Thomas 2. 2. q. 101. a. 1. *Ad pietatem pertinet exhibere cultum parentibus. & patriæ*. Neque secundum hanc acceptionem locuta fuit Synodus, vbi explicuit tantum penitentiam in ordine ad Deum, Tertio tandem intelligi-

tur donum pietatis, *secundum quod* addit Angelicus ibidem q. 121. a. 1. *cultum, & officium* exhibemus Deo, vt patri per instinctum Spiritus Sancti; Ita accepta pietas per Synodum coniũcta dolori pęnitentiali ostendit pænitentem dolere de peccato, quia est contra Deum patrem nostrum; doloremque peccatoris quouis tempore esse debuisse filij proprium, nõ serui; & propterea non sufficere displicentiam seruilem; quarto tandem insinuatur necessitas habendi Deum pro fine, vbi quis pęnitet ex verbis Ezechielis. *Conuertimini, & agite pęnitentiam.*

CXXXXVIII. Sed, & eadem Synodus c. 3, differens *de partibus, & fructu huius Sacramenti* Penitẽtiæ docet *formam in qua præcipue Sacramenti vis sita est in ministri verbis positam esse. Sunt autem quasi materia huius sacramenti ipsius pænitentis actus, nempe contritio confessio, & satsfactio: qui qua* tenus

tenus in pænitente ad integritatem Sacramenti, ad plenamque, & perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur; hac ratione partes pęnitentię dicuntur. Et can. 4. *Si quis negauerit ad integram, & perfectam peccatorum remissionem, requiri tres actus in pænitente, quasi materiam sacramenti pænitentiæ, videlicet, contritionem, confessionem, & satisfactionem, quæ tres pænitentiæ partes dicuntur... anathema sit.* Igitur cum semper constantissimè explicetur materia Sacramenti per tres actus, qui communiter a Doctoribus asserūtur constituere pęnitentiam in ratione virtutis; & ijs doceatur integrari pænitentia tantopere nobis in scriptura commendata, toties que præcepta, quia vt ex Cathechismo audisti supra lex non pręcipit, nisi de actibus virtutum, dicenda erit Synodus definijsse pænitentiam, vt virtus est, eamq; vt talem agnouisse necessariam quo-

quouis tempore. Et quia non potest esse virtus, nisi habeat pro fine Deum, cui pęnitens intendit reconciliari, apparet ex ratione formali ipsius pęnitentię ab ecclesia commendatæ tanquam necessariæ ad impetrandam gratiā in sacramento debere importari actum aliquem; quo pænitens tres prædictos actus ordinet in Deum; & hic vtique est actus amoris Dei propter se dilecti, prima etenim omnium passionum est amor.



CA-

CAPVT XIV.

Sacramenta mortuorum ex vi, & ratione Sacramenti exigunt in suscipiente aliquem amorem Dei propter se dilecti, & haec est secunda ratio.

CII. RES, & *effectus huius Sacramenti* paenitentiae inquit Tridentina Synodus sess. 4. c. 3. *quantum ad eius vim, & efficaciam pertinet, reconciliatio est cum Deo.* Sed quia nunc eruo necessitatem amoris ex generica ratione Sacramenti qua talis; iuuabit ponere doctrinā Cathechismi Romani ex parte 2. c. 1. de Sacramentis in genere n. 12. vbi haec habentur. *Hisce misticis signis quae a Deo instituta sunt; illud praecipue conuenit, vt ex Domini institutione, non vnam aliquam rem; sed plures simul significent, quod in-*

sin-

singulis Sacramentis licet cognoscere, quæ non solum sanctitatem, & iustitiam nostram, sed præterea duo alia cum ipsa sanctitate maximè coniuncta, declarant Christi, scilicet Redemptoris passionem, quæ sanctitatis causa est, & vitam æternam: cælestemque beatitudinem, ad quam sanctitas nostra tanquam ad finem referri debet; quod quidem cũ in omnibus sacramentis perspici possit, merito Sacri Doctores vnicuique Sacramentorum triplicem significãdi vim tradiderunt, tum quia alicuius rei præteritæ memoriã afferat: tum qu ia aliam præsentem indicet, ac demonstret, tum quia aliam futuram prænunciet. Neque verò existimandum est, hoc ita ab illis doceri, vt etiam Sanctarum scripturarum testimonio non probetur, Nam cum Apostolus Ro, 6. ait: Quicumque baptizati sumus in Chsisto Iesu, in morte ipsius baptizati sumus, *plane ostendit, idcirco Baptisma, signum dicendum esse, quod Dominicæ passio-*

nis,

nis, & mortis nos admoneat. Deinde cum inquit Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, vt quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriã Patris, ità, & nos in nouitate vitæ ambulemus; *ex ijs verbis perspicuum est baptisma signum esse, quo cælestis gratia in nos infusa declaratur, cuius munere nobis datum est, vt nouam vitam instituentes, omnia veræ pietatis officia facili: & libenti animo exequamur. Postremo cum addit Ro. 6.* Si enim complantati facti sumus similitudini mortis eius, simul & resurrectionis erimus *apparet baptisma vitæ etiam æternæ, quam per illũ consecuturi sumus, non obscuram significationem dare.*

CL. Et num. 27. explicans præcipuos Sacramentorum effectus dicit quod *hi duo præcipue numerantur: Ac principem quidem locum merito gratia illa obtinet, quam vsitato à Sacris Doctoribus nomine iustificantem vocamus; Ita enim*

enim Apostolus apertissimè nos docuit, cum inquit Eph. 5. Christum dilexisse Ecclesiam, & se ipsum tradidisse pro ea, vt illam sanctificaret, mundans eam lauacro aquę in verbo vitæ. Ex quibus apparet effectum principalem, seù rem primariam Sacramenti quà talis, esse gratiam sanctificantem, Adultus autem, vt cum Sacramento percipiat rem Sacramenti, debet habere rectam intentionem percipiendi ipsam rem, vt enim inquit S. Thomas 3. p. q. 64. n. 8. *quando aliquid se habet ad multa, oportet, quod per aliquid determinatur ad vnum, si illud effici debeat. Ea verò, quæ in Sacramentis aguntur, possunt diuersimodè agi. . Et ideo oportet, quod determinentur ad vnum, idest ad Sacramentalem effectum per intentionem,*

CLI. Porrò concordant omnes, quod fictus accedens ad Sacramentum, quia non habet inten-

centionem rectam; non suscipit rem Sacramenti: Et Alensis 4. p. q. 8. membr. 7. a 2. §. 2. explicans differentias fictionis ait: *Fictio dicitur falsitas, & fictus dicitur falsus, nec accipitur hic falsitas speculatiuè, sed in quantum priuat rectitudine respectu finis. Hoc autem potest esse duplicitèr, vel quantum ad actum exteriorem, & sic accipitur illa differentia qui alitèr celebrat Sacramentum* (seù quod idem sonat, fictio circa actum exteriorem, cum inducuntur noui ritus) *vel quantum ad actum interiorem, & hoc triplicitèr: vel secundum concupiscibilem*, & sic indeuotiò, vel secundum irascibilem, & sic contemptus; Omissa autem, quę non facit ad meum intentum, fictione rationis, quando homo non credit, & fictione irascibilis, quando homo positiuè nolendo rem Sacramenti, contemnit gratiam sanctificantem, ipsa fictio concupiscibilis, videtur

tur

tur inter alia adesse, quando quis positiuè, dum accipit Sacramentum, non intendit accipere rem Sacramenti, seu loquendo de Sacramentis mortuorum, renouationem vitæ, & formalem effectum gratiæ iustificantis, ita vt saltem in confuso non feratur in illam, quare paulò ante idem Alensis, cum sibi obiecisset gratiā esse fortiorem peccato, posse propterea expellere peccatum omne, etiam fictionis, respondet, quod *respectu subiecti id fortius dicitur, in quod liberum arbitrium magis consentit*, & quod *peccatum ita inhæret voluntati in habente vsum rationis, quod non expellitur a gratia nisi voluntas gratiæ cooperetur*, vtique per intentionem, qua consentit se subijcere gratiæ, eamque in se velle Et S. Bonauentura in 4. d. 4. p. 1. a. 2. quæstion. 2. *Deus nulli inuito dat iustitiam nec gratiam, alioquin non esset iustitia.* Inuitus autem intelligi-

ligitur, qui non habet positiuam voluntatem suscipiendi gratiam.

CLII. Sed audiatur S. Thomas ibidem q. 3. a. 2. q. 2. *Indispositio voluntatis, quæ effectum vltimum baptismi impedit, est duplex. Vna secundum ordinem ad Sacramentum; alia secundum ordinem ad effectum Sacramenti. Quia omnis actio est per contactum, ideò necessarium est, quod recipiens Sacramentum, quodammodò contingat ipsum, & per intellectum, quem contactùm facit fides, & per affectum, quem contactum facit deuotio. Et ideò indispositus reputatur . . . qui indeuotus accedit.* Et ad 1. *Fictio proprie est, cum aliquis aliquid ostendit dicto, vel facto, quod non est in rei veritate: Hoc autem contingit dupliciter: Vno modo, quando ex hac intentione aliquid dicitur, vel fit, vt aliud ostendatur, quam veritas habet: Alio modo, quando aliquid ostenditur dicto, vel facto, quod rei veritas non habet,*

& sic accipitur hic fictio: quicumque enim ad baptismum accedit, ostendit se veteri vitæ abrenunciare & nouam inchoare; Vnde si voluntas eius adhuc in vitæ vetustate remaneat, aliud ostendit, quam sit in rei veritate, & ideò dicitur fictio Et ad 3. *Deuotio hic accipitur voluntas consequendi baptismum totaliter, & quantum ad Sacramentum, & quantum ad rem Sacramenti, & huius deuotionis defectus non potest esse sine peccato mortali.*

CLIII. Eadem repetit, quoad substantiam d. 6. a. 2. tractans de baptismo, in quo *baptizatus* inquit quæstiuncula 3. *duo recipit, Sacramentum, & rem Sacramenti, sed ad hæc duo recipienda non requiritur aliquid causans ex parte recipientis, sed solum impedimentum remouens, quod quidem impedimentum nihil aliud est, quam voluntas contraria alteri prædictorum. Et ideò in adultis, & in habentibus*

vsum

vsum rationis , iu quibus poteſt eſſe contraria voluntas actu , vel habitu (ecce quod ſufficit contraria voluntas habitualis, quæ ſemper eſt quoties poſitiuè non habuit intẽtionem percipiendi rem Sacramẽti) *requiritur coutritio , vel deuotio* (explicata n. præcedente)*ad percipiendam rem Sacramenti,& intentio vel voluntas recipiendi Sacramentum. In pueris autem abſque vtroque percipitur Sacramentum , & res Sacramenti,& ſimiliter eſt in carentibus vſu rationis , niſi contraria voluntas habita inſit , & ſi non actu* Et ad 2. *In pueris non poteſt eſſe contraria voluntas neque actu , neque habitu , & ideò non requiritur voluntas,vel intentio in eis,quo prohibens remoueatur. In amentibus autem & dormientibus poteſt eſſe voluntas contraria habitualis,quamuis non ſit actualis,& ideò ſi ante ſomnum, vel furiam fuerunt contrariæ voluntatis, non recipiunt Sacramentum , quia adhuc manet illa contra-*

ria

ria voluntas habitualis, si autem habuerunt propositum recipiendi baptismum, & hoc per alia signa innotuit, tunc in articulo necessitatis debet eis conferri baptismus, & suscipiunt Sacramentum, & rem Sacramenti.
Circà quam Angelici doctrinam notandi sunt duo actus voluntatis distincti: alter est ille, quo Sacramentum suscipiens consentit, & se subijcit gratiæ, & hunc actum, vt dictum est supra exigit S. Doctor, solum quando adultus est compos sui. Alter actus est intentio, seu propositum recipiendi Sacramentum præcedens tempore ipsam gratiæ susceptionem, & sine isto actu dicit adultum, qui aliquando habuit vsũ rationis nõ suscipere Sacramentũ, adeòut ad percipiendum sacramentù & rem Sacramenti requiratur in huiusmodi adulto, quod habuerit, & posteà non retractauerit hòcce propositum, & siquidem per illud intenderit re-

cipere


cipere totaliter Sacramentum, recipit vtrumque; Sacramentum, & rem Sacramenti, si expressè intendit solum Sacramentum, non rem, tunc illud, non istam percipit: si verò absque huiusmodi distinctionum ambagibus, intenderit recipere Sacramentum, iuxtà quod datur in Ecclesiâ, tunc intentio prædicta respicit vtrumque in confuso, & vtrumque recipit.

CLIV. Quæ etiam est mens Cathechismi Romani p. 5. c. 2. n. 38. Adultis, *opus est, vt velint, propositumque sit illis baptismum suscipere, nam cum vnusquisque peccato in baptismo moriatur, & nouam vitę disciplinam; ac rationem suscipiat s æquum] est non inuito cuiquam, aut recusanti, sed illis tantum, qui sponte sua; & lubenti animo, accipiunt, baptismum præberi: quare ex sanctâ traditione semper seruatum animaduertimus; vt nemini baptismus mini-*

 nistre-

ftretur, nisi prius interogatus fuerit, an velit baptizari. Et deindè num. 39. de furiosis, amentibus, & dormientibus eadem statuit, quæ audisti prius tradita ab Angelico. Et quamuis tantum meminerit baptismi propositum, tamen ez contextu verborum apparet ad suscipendam rem Sacramenti requiri propositum recipiendi baptismum totaliter; nec enim adultus docetur suscipere baptismum, seu ablutionem quà talem, sed ad effectum vt ablutio corporis pertingat ad abluendam animam, & sic homo iustificandus per Sacramenta, vt verè iustificetur, debet intendere hanc iustificationem, quam si adultus non intendat modo, quo suprà est explicatum, nunquam iustificabitur. Pluries autem insinuatum est, quod huiusmodi voluntas, & intentio habendi gratiam iustificantem, & charitatem sanctificatiuam sit actus amoris Dei prop-

propter se dilecti, quod idem ad omnem scrupulum tollendum diffusè probabo inferius vt propterea ex necessitate, quam habet suscipiens Sacramentum, intendendi rem Sacramenti, appareat Sacramenta mortuorum, qua Sacramenta exigere prædictum amorem Dei.



CAPVT XV.

Ex Contritione. quæ est prima pars Sacramenti Pœnitentiæ elicitur necessitas amoris Dei propter se dilecti ad impetrandam gratiam in Sacramentis mortuorum.

CLV. TRes esse Sacramenti Pœnitentiæ partes, contritionem, confessionem, & satisfactionem, definiuit Tridentina Synodus sess. 14. c. 3. & satisfactio quidem non est pars essentialis, adeòut sine illa non habeatur reconciliatio hominis cum Deo, vere enim ante satisfactionem iustificamur, si cetera adsint. Confessio autem & contritio sunt partes essentiales, confessio saltem in voto, imò sine confessione actuali non iustificamur ordinariè, sed solum ali-

aliquando , vt ibidem loquitur Synodus c. 4. scilicèt solum quoties contingit contritionem esse charitate perfectam . Contritio autem primum locum inter pœnitentis actus habet, & propterea in ordine ad materiam huius Sacramenti est prima pars: Nomine autem contritionis ex eodem Tridentino, vbi supra venit etiam attritio, quæ vocatur contritio imperfecta Cum igitur hęc de se satis constent, quæstio pręsens in eo solum versatur, an contritionis nomine , quæ dicitur etiam pars prima Sacramenti, venire possit imperfecta contritio , seu attritio , sine vllo amore Dei propter se dilecti , quæ tempore Alexandri Septimi videbatur sententia communior inter Scholasticos, an vero requiratur ad constituendam contritionem , quæ sit pars prima Sacramenti aliqualis dilectio Dei propter se . Et verò dedi iam supra coniecturas

plurimas, ex quibus elici videatur Tridentinum in prædicto cap. 4. exegisse ad contritionem, qua sufficienter disponat suscipiendæ rei Sacramenti, seu ad iustificationem, quod prędicta contritio saltem imperetur ab aliquo amore Dei. In præsenti autem capite mihi statui ex professo probare hanc necessitatem amoris, quod quidem pluribus argumentis posse videtur euinci.

CLVI. Primo enim contritio, & pœnitentia peccatorum, quam nobis in testamento veteri diuina scriptura commendat, & præcipit, vt iustificet, debet elici ex amore Dei, & concludi tanquam vltimò disponente voluntaria susceptione gratiæ, super quo nemo dubitat. Huiusmodi autem locis testamenti veteris contra Nouatores vtitur Tridentina Synodus citato cap. 4. ad persuadendam populis in lege gratiæ necessitatem contritionis

ad

ad impetrandam gratiam. Ita etiam S. Patres, Doctores, & omnis Ecclesia prædicauit populis illam contritionem, quam toties vidimus inculcatam, & præceptã in lege veteri, vnde hauriuntur Dauidis, Manassis, aliorumque pœnitentium gemitus, ad quorum amussim peccatores omnes ordinare debeant suam pœnitentiam, & obuia sunt vnicuique Patrum verba, vt opus non sit propterea longius hanc dissertationem ijs adducendis extendere, sufficiat, vnus Ambrosius; Theodosio enim dicenti Dauid quoque fuisse adulterum, & homicidam respondit *qui secutus es errantem, sequere pœnitentem*, ac si diceret eadem verę pœnitentiæ signa tu Theodosi homicida ostende, quæ homicida Dauid ostendit, quare cum pœnitentia Dauidis, vt esset vera, debuerit procedere ex Dei amore, ex eodem Ambrosius voluit, vt procederet pœnitentia

Theodosij.

CLVII. Nec sufficit reponere, quod Patres hortentur quidem more concionatorio ad aliquid, suprà quam homines tenerentur, etenim ex ipsorum modo loquendi apparet non prędicasse pœnitentiam supererogationis, sed necessitatis, quod declarauit Tridentina Synodus prædicta sess. 14. c. 1. vbi dicit, quod *Deus diues in misericordia, cognoscens figmentum nostrum, illis etiam vitæ remedium contulit, qui sese posteà in peccati seruitutem & dæmonis potestatem tradidissent Sacramentum videlicet, pænitentiæ,* addens immediatè: *Fuit autem pænitentia quouis tempore ad gratiam, & iustitiam assequendam necessaria vniuersis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinassent.* Et c. 4. loquens de contritione repetit. *Fuit quouis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius,* qua-

quare pœnitentia, quæ tanquam virtus erat necessaria tempore legis naturæ, & legis scriptæ, vt iustificarentur adulti, est etiam necessaria tanquam Sacramentum lapsis post baptismum, quibus applicatur mortis Christi beneficium, & dolor, qui necessariò debebat habere primum locum inter actus pęnitentis tempore legis naturę, & scriptæ. eundem locum necessariò, debet habere inter actus Christiani, qui se pręparat ad remissionem peccatorum. Circà quem vltimum Tridẽtini locum illud vlteriùs est obseruandum, quod omnes concedunt in primà parte capitis, vsque ad illa verba *Illam verò contritionem imperfectam* exclusiuè, declarare semper Synodũ naturam, proprietates, & efficaciam doloris requisiti ad iustificationem: quare Spiritus Sanctus per ora Patrum declarauit hunc dolorem oriri debere ab

amore Dei: cum hac differentiâ vt iustificandus extrà sacramentum, debeat habere necessariò perfectum Dei amorem s. in Deo sistendo: Per sacramẽtum autem iustificetur homo, etiamsi habeat amorem Dei imperfectum, s. in Deo non sistẽdo, dũmodò Deum diligat propter se, & vt finem, nõ propter aliud, & vt medium.

CLVIII. Id magis apparebit, si raptim inuestigemus, cui præcepto innitatur hęc necessitas quæ inerat omnibus peccatoribus iustificandi se per Dei amorem. Est autem expressa sententia S. Thomæ in 3. d. 20. art. 3. ad 5. quod *contritio delet culpam ratione charitatis*; cuius ratio, est quia vt idem loquitur 3. p. q. 1. a. 2. ad 2. *paccatum contrà Deum commissum quandam infinitatem habet ex infinitate Diuinæ Maiestatis, infinitam* autem, vt Sanctus addit in 4. d. 17. q. 2r. a. 5. questiuncula 2. ad 4. *virtutem dolor contritio-*

tritionis habet ex charitate, quâ informatur. Totam igitur suam efficaciam in Dei offensam qua talem desumit contritio ex charitate, vt inde deduci possit quod necessitatem diligendi in lege veteri ante gratiam desumeret ex præcepto dilectionis. Hoc autem est primum inter mandata Decalogi continentis præcepta legis naturæ diuisique in duas tabulas quarum prima importat præcepta circà Deum, secunda præcepta circà proximum Docet autem S. Thomas 1. 2, q.100. a. 8. quod *præcepta Decalogi sunt omnino indispensabilia*, idque satis efficaciter suadet eiusdem ratio; etenim *in præceptis tunc fieri debet dispensatio, quando occurrit aliquis particularis casus, in quo si verbum legis obseruaretur, contrariaretur intentioni legislatoris. Intentio autem cuiuslibet legislatoris ordinatur primo, & principalitèr ad bonum commune.. Si qua ergo præ-*

cepta dantur quæ contineant ipsam conseruationem boni communis . . . huiusmodi continent intentionem legislatoris , & ideò indispensabilia sunt: præcepta autem primæ tabulæ quæ ordinantur ad Deum, continent ipsum ordinem ad bonum commune, & finale, quod Deus est Additque ad 2. *Sicut Apostolus dicit* 2. *Tim.* 2. Deus fidelis permanet: negare se ipsum non potest, *negaret autem se ipsum , si ordinem suæ iustitiæ auferret , cum ipse sit sua iustitia , & ideò in hoc dispensare non potest, vt homini liceat non ordinatè se habere ad Deum* . Vnde opusc. 61. c. 1. ait. *Mandatum diligendi Deum est primum necessitate obseruationis . . . contra quod omninò dispensari non potest , nec ab homine , nec a Deo* . Propterea dicebat Christus Matth. 5. *Nolite putare, quoniam veni soluere legem aut Prophetas , non veni soluere , sed adimplere . . . Iota vnum aut vnus apex non præteribit a lege*

donec

donec omnia fiant, vt consideranti facile apparet: vtramque enim legem naturæ, & Moysis exactissimè obseruauit, explicando primæ vim in ijs, quæ hominum malitia obscurauerat, & secundæ figuras omnes de suo aduentu & passione factas perfectissimè adimplens. Vndè *manent eodem modo*, ait. S. Thomas 4. d. 17. q. 3. a. 1. quæstiuncula 2. ad. 2. *præcepta legis naturæ in lege Moysi, & in lege noua* quare cum in lege Moysi æquè, ac in lege naturæ peccatores ex vi præceptorum primæ tabulæ obligarentur, quoties iustificari volebant, ad eliciendam contritionem ex imperio amoris Dei, qui esset primus in intentione, per hoc quod intenderent dolere de offensa Dei, eo quia esset Dei offensa, & vltimus in executione per voluntariam susceptionem gratię iustificantis, videtur, quod eadem hęc obligatio maneat in le-

ge

ge noua, imò quod ab ea Christus hominem liberare non potuerit.

CLIX. Secundò: quoad scripturam noui testamenti, si loquamur de contritione, seù pænitentia peccatorum, proùt est actus penitentis, meo videri nec vnus textus potest assignari, in quo promittatur, vel insinuetur iustificatio peccatoris accedentis ad Sacramentum cum solo dolore, horto ex metu gehennæ, nullo habito respectu ad culpam, quà est offensa Dei; inducimur quidem multoties ad metuendas pænas, verum inde Doctores tantum colligunt huiusmodi metum esse bonum: ex Patribus, & Scholasticis antiquis nemo est, qui indè eruat in Sacramento prædictum timorem, seù displicentiam a metu vnicè causatam, vltimò disponere peccatori iustificando. E contra exemplum omne conuersionum in Euangelijs narratarum

eo

to tendit, vt appereat amorem eximium, quo primum Deus inflammauit corda conuertendorum, vt posteà illis largiretur gratiam iustificationis. Ita Magdalena, Samaritana, adultera, Zacchæus, Petrus, peccatores, cum quibus discumbebat Christus, latro in cruce pendens; mihique accidit mirabile, quod Christus filius Dei habens potestatem excellentiæ, quà homo, ad iustificandum, nullis sacramentis alligatus, nec vnum impium conuertere voluerit tunc cum tot, tantisque modis nostram salutem curabat, cum solo metu gehænne, & tamen reliquerit deinde talem potestatem hominibus ministris suis. Timore quidem excitabat populum, sed tamen, vt iustificaret, prius infundebat amorem sui, & regni cælestis, nunquam vno pœnarum timore contentus. Huiusmodi sanè consideratio me conuincit

omni-

omninò, quod nunquam faciat seruus, quod nunquam fecit Dominus.

CLX. Verba etiam, quæ necessitatem contritionis innuunt, expresse meminerunt, vt plurimum, Dei, cuius amoris imperio debeat elici prædictus dolor. Matth. 3. dicitur. Pœnitentiam agite, appropinquauit enim Regnum Cœlorum, ac si contritionis, & pœnitentiæ causa debeat esse Cœlorum Regnum, vbi erit Deus omnia in omnibus, & ita amor seu desiderium fruendi Deo, qui fruitionis actus quiescit in suo obiecto, tanquam in fine, debeat hominem mouere ad pœnitentiam Luc. 24. *oportebat prædicari pœnitentiam, & remissionem peccatorum*, sed in nomine Christi, ita vt Christus ad eam induceret. Act. 2. *Penitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum in nomine Iesu Christi, in remissionem peccatorum, & accipietis Spi-*

Spiritus Sancti donum, ita quod Iesus Christus esset principium, quare & finis, ob quem pænitere, & baptizari debebant: remissionem peccatorum quærerent, vbi scriptura intelligenda est in sensu formali, vt quęrerent sibi remitti peccata, qua talia, siue vt Dei offensa, & sperarent gratiam sanctificantem, quà sibi remitterentur. Act. 20. Paulus prædicabat *Iudæis*, *atque Gentilibus in Deum pænitentiam*, vbi particula *in Deum* conuincit pænitentiam esse debere motum voluntatis, vt a priore Dei affectu motæ secundum quod explicant communiter Scholastici proponentes differentiam inter illos actus *credere Deo*, *credere Deum*, *& credere in Deum*; Denique pænitentia nobis præcipitur, vt talis est, seù quatenus vt c. 13. dictum est ex S. Thomà respicit ad ponendam emendam pro offensà Dei: vnde quæ nobis præcipitur, tota debet respicere Deum.

Ter-

CLXV. Tertio contritionem esse debere propter Deum dicunt Patres: S. Ioannes Chrysostomus hom. 4. in 2. ad Cor. in Moralibus: *Cum peccaueris, ingemisce, non quod pœnas daturus sis (nihil enim hoc est) sed quod Dominum tuum offenderis*. Theophylactus ad illud Matth. 5. *Beati qui lugent*, ita commentatur. *Qui propter peccata luget . . . qui enim lugent propter peccata gaudet spiritualiter*. Ibidem Euthymius. *Lugentes dicit, non qui simpliciter lugent, sed qui pro peccatis lugent*. Tertullianus de pæn. c. 9. *Exomologesis est. . . . ingemiscere, lacbrymari, & mugire dies noctesque ad Dominum Deum tuum. Presbyteris aduolui*. In quibus verbis explicat contritionem ordinatam ad Sacramentum. Hanc etiam respicit Cyprianus ep. 52. *Pænitentiam*, inquit, *non agentes, nec dolorem delictorum suorum toto corde, & manifesta lamentationis*

suæ

suæ professione testantes prohibendos omnino censuimus a spe communicationis, & pacis, si in infirmitate, & periculo cæperint deprecari, quia rogare, illos non delicti pænitentia, sed mortis vrgentis admonitio compellit. Beda in 8. Luc. *Singula vitia deflemus, vt ad gratiam splendoremque venire mercamur æternum*, ac si desiderium veniendi ad gratiam sit causa lachrymarum. Berno Angiensis serm. de purific. *Necesse vnamquamque rectè credentis animam priùs timore, deinde compungi amore*: Bernardus in serm. ad Cleric. c. 29. *Lugeat, sed non sine pietatis affectu, & obtentu consolationis*. Innocentius Tertius ad 1. psal. pænitentialem *In contritione debet habere pænitens, timorem de pœna, dolorem de culpa, & amorem de gratia*.

CLXII. Quod autem dixi contritionem debere esse propter Deum, id tanquam rem omni Chri-

Christiano cognoscendam, & vti principium ab omnibus Parochis populo explicandum proponit Cathechismus Romanus p.2.c.5. num. 26. his verbis *Nullus alius dolor ex parentum, & filiorum obitu, vel cuiusuis alterius calamitatis causa susceptus hoc nomine* (contritionis) *appellatur: sed illius tantum doloris proprium est nomen, quo ex amissa Dei gratia, atque innocentia afficimur* Et n. 38. *Ex Fidei Catholicę doctrina omnibus credendum, & constanter affirmandum est, si quis ita animo affectus sit, vt peccata admissa doleat, simulque inposterum non peccare instituat; & si huiusmodi dolore non afficiatur, qui ad impetrandam veniam satis esse possit, ei tamen cum peccata Sacerdoti rite confessus fuerit, vi clauium scelera omnia remitti. ac condonari; In quibus verbis* Cathechisimus vult quod *homo peccata admissa doleat*. Quæ propositio, si accipiatur, vt videtur

tur accipienda, in sensu formali importat dolorem de peccatis, qua talia sunt, & offensa Dei. Docetque vlterius dolorem huiusmodi non semper ante Sacramentum impetrare (remissionem peccatorum: Consonantque doctrinę Romanæ Acta Mediolanensis sub S. Carolo p. 4. pag. 521. col. 2. in fin. vbi in instructione Confessarij ad Pænitentem dicitur, quod ille, *si contritionem hunc non habere intellexerit. illius desiderio accendere conabitur, hoc admonens propter Deum ipsum vsque adeò, quantum potest, dolere oportere, vt saltem adiutrice Diuina gratia, quam à Deo intimè precetur, ex Sacramentique virtute ex attrito fiat contritus.*

CLXIII. Scholasticos (non adducam, quia mens eorum satis apparet ex dictis supra. Quia tamen Angelici Doctoris authoritas tanri fit in Ecclesia non ingratum erit magis, ac magis decla-

clarare ſuam ſententiam. Igitur ille in 4. d. 17. q. 2. a. 2. quæſtiuncula ſecunda ſibi ſecundò hæc obijcit. *Contritio debet eſſe de peccatis, ſecundum quod auertunt à Deo, quia conuerſio ad creaturam ſine auerſione à Deo contritionem non requirit.* Hæc præmiſſa veniret neganda, ſi dolor ſufficiens in Sacramento, de quo ibi tractat, non deberet reſpicere Deum, nihilominus illam, vt videre eſt ex reſponſione concedit. Et a 3. quæſtiuncula 3. ad 2. *In contritionis motu ſubitaneo, quamuis non actualitèr diſtinctio intentionis reſpondens diuerſis peccatis inueniri poſſit, tamen inuenitur, ſecundum quod ſingula peccata ordinem habent ad illum, de quo in contritione generali, contrito dolendum occurrit ſcilicet offenſa Dei, qui enim totum aliquid appetit, vel diligit, diligit etiam partes eius. quamuis non actu. Et hoc modo ſecundum quod habent ordinem ad totum*

quaſ-

quasdam plures, quasdam minùs, sicut qui aliquam communitatem diligit, virtute singulos diligit, plus, & minus, secundum eorum ordinem in bono communi. Et similiter qui dolet de hoc, quod Deum offendit, de diuersis implicitè dolet diuersimodè, plus, & minus, secundum quod per ea Deum offendit. Et a. 4. quæstiuncula 5. ad 2. *Dolor Contritionis ex charitate causatur.*

CLXIV. Sed & aliâ viâ potest apparere, an S. Thomas crediderit dolorem ex vno gehennæ metu extortum, dici possit pars Sacramenti pœnitentiæ, & primus pęnitentis actus; In eadem quæstione a. 1. quæstiuncula prima hæc habet. *Actus contritionis est actus virtutis, & est pars Sacramentii pœnitentiæ,* & quod sit actus virtutis, firmat quęstiunculâ secundâ concludens. *Contritio importat aliquam rectitudinem voluntatis, & propter hoc est actus virtutis*

tutis illius, cuius est peccatum præteritum detestari, & destruere, scilicet pœnitentiæ Et a. 5. quæstiunculà primà sibi obijciens, quod si contritio est virtus, non potest præcedere, sed subsequi remissionem culpæ, respondet: *Ad secundum dicendum, quod peccati remissio vno modo præcedit virtutem*, & gratiæ infusionem, alio modo sequitur. E contrà vero eidem Angelico attritio non est actus virtutis; nam a. 1. quæstiunculà secundà sibi tertio obiicit. *Sicut Contritio dicitur a terendo, ita & attritio: sed attritio non est actus virtutis, vt ab omnibus dicitur, ergo neque contritio*. Vides ab omnibus negatam virtutis rationem attritioni, respondetque disparitatem esse, quare contritio sit virtus, non attritio, quia, scilicet, hæc *non dicit accessum ad perfectam contritionem; significat enim quandam displicentiam*

de

de peccatis commissis, sed non perfectam: contritio autem perfectam.



CAPVT XVI.

Ex Confessione, quæ est secunda pars Sacramenti pænitentiæ elicitur necessitas amoris Dei ad impetrandam gratiam in prædicto Sacramento.

CLXV. FAcilè est ex huc vsque dictis colligere, etiam confessionem ipsam Sacerdoti fieri debere proptèr Deum, itaùt ex desiderio placandi Deū imperari debeat aperitio vulnerum Medico animarum nostrarum, ita quod hæc intentio præcedat saltem causalitate confessionem: confessio enim est pars Sacramenti, mediumque ad Dei gratiam obtinendam; quare ordinanda est ad hunc effectum. Confessio est actus virtutis pænitentiæ, quare ad eam moueri debemus ex eiusdem pænitentiæ fine, qui est Deus. Sacerdotes,

quibus

quibus peccata pandimus, Dei vices gerunt, in eisque considerandа est Diuina Maiestas, non humana vilitas, vt propterea nihil magis dedeceat, quam virtutis actum ad tam sublimia de se ordinatum detorquere in fines alienos, nihil eorum attendentes ad quæ est instituta confessio, sed vnicè eam referendo ad effectum euadendi pęnas promeritas, & vbi de se primariò potest in culpam, restringere ad solam pænã.

CLXVI. Suffecerit autem ad hoc caput stabiliendum authoritas Catechismi Romani p. 2. c. 5. n. 36. sic loquens. Confessionem Sacramentalem *definiunt esse peccatorum accusationem ob susceptam, vt virtute clauium veniam impetremus. Rectè autem accusatio dicitur, quia peccata . . . accusatorio animo ita enumeranda sunt, vt ea etiam in nobis vindicare cupiamus Veniæ autem impetrandæ causa peccata confitemur: quoniam hoc indi-*

cium longè dissimile est à forensibus capitalium rerum quæstionibus, in quibus confessioni pæna, & suppli- cium, non culpæ liberatio, & erranti venia constituta est. In eandem ferè sententiam, quamuis aliis verbis Sanctissimi Patres videntur confessionem definisse, veluti cum Sanctus Augustinus inquit Confessio est, per quam morbus latens spe veniæ aperitur *& Sanctus Gregorius*: Confessio est peccatorum detestatio, quarum vtraque; quod in superiori definitione contineatur, facilè ad eam referri poterit. Et n. 40. *Tradent hoc Sacramentum à Christo Domino qui bene omnia, & vnius nostræ salutis causa fecit, ob eius summam bonitatem, & misericordiam institutum esse*. Et n. 44. *Statuant fideles oportere eum, qui mortali scelere premitur, confessionis Sacramento ad spiritualem vitam reuocandum esse*.

CLXVII. Dicitur *accusatio*

ea

eo suscepta vt veniam impetremus, quare ad hunc finem instituta est vt obtineamus remissionẽ peccatorum, quæ propterea remissio peccatorum primario à nobis debet intendi secundum illud, per quod fit remissio, nempè per gratiam sanctificantem. dicitur, quod *peccata, in nobis vindicare cupiamus*, quod est proprium pænitentiæ, curare emendam offensæ solum faciendã per gratiam & vt hoc totum magis, ac magis pateat, additur *causa veniæ impetrãdę peccata confitemur*. Venia autem de suo formali conceptu importat remissionem peccati, infusionem gratiæ, inhabitantiam Spiritus Sancti in nobis, nec qualemcumque inhabitantiam, sed quæ sit Deo digna, quæ Deum constituat finem ipsius animæ omniumque eius operationum; nec enim aliter intelligi potest Deum inhabitare per Spiritum Sanctum in cordibus nostris: quare

re hæc omnia, quę important formalem amorem Dei propter se dilecti, quatenus a peccatore desiderantur, & sperantur sunt causa, & motiuum confessionis. Et ex hoc ostenditur diuersitas iudicij pænitentialis a forensi. In isto enim rei confessio tendit ad inflictionem pęnæ: in illo ad remissionem culpę, & infusionem donorum, quæ sunt annexa remissioni & exhoc ostenditur eadē de cōfessione sensisse Sanctissimos Ecclesiæ Doctores, & satis congruenter, cum id procedat ex institutione Christi, qui dedit hoc Sacramentum vnius nostræ salutis causa; vndè sicut minister præbens materiam Architecto ad fabricandam domum; debet, vt ritè & legitimè operetur, conformare se intentioni principalis operantis, ita homo præbens per confessionem, materiam Sacramento pænitentiæ, debet se conformare intentioni Christi principa-

cipaliter operantis, vt sicut ipse Sacramentum instituit, vnius causa nostræ salutis respicientis primario liberationem a culpa, secundario liberationem a pœna, ita homo ponat confessionem primario ad tollendum peccatum, introducendumque in animam Spiritum Sanctum tanquam principium, & finem omnium illius operationum: secundario verò ad tollendas pœnas debitas peccatis.

CAPVT XVII.

Effectus, ad quem institata sunt Sacramenta mortuorum, exigit in suscipiente prædicta Sacramenta, amorem Deì propter se dilecti.

CLXVIII. DEductæ hucusque rationes eò tendunt, vt ex causis Sacramenti appareat necessitas amoris ad impetrandam gratiam per Sacramenta, in præsentiarum eandem firmare conabor ex effectu, qui habetur per Sacramenta, nempè ex Dei amicitia, ad quam stabiliendam Christus instituit Sacramenta, etenim Theologis est vulgare principium, quod gratia non destruit, sed perficit naturam, quare si ratio amicitię exigit amorem beneuolentię, quo propter se diligatur amicus, congruum erit asse-

asserere Christum per gratiam, quæ per ipsum facta est, non destruxisse, sed perfecisse naturam amicitiæ. Ex S. Thoma 2. 2. q. 23. a. 1. *Secundum Philosophum in 8. Ethic., non quilibet amor habet rationem amicitiæ, sed amor qui est cum beneuolentia, quando, scilicèt sic amamus aliquem, vt ei bonum velimus. Si autem rebus amatis non bonum velimus, sed ipsum eorum bonum nobis velimus, sicut dicimur amare vinum, aut equum, aut aliud huiusmodi, non est amor amicitiæ, sed cuiusdam concupiscentiæ. Ridiculum enim est dicere, quod aliquis habeat amicitiam ad vinum, vel ad equum.* Primum ergo requisitum ad amicitiam est beneuolentia, quæ vt est ibidem q. 27. a. 2. *est actus voluntatis, quo volumus alicui bonum, etiam non præsupposita vnione affectus ad ipsum, & propriè* loquendo ex 1. p. q. 20. a. 2. ad 3. *est tantum ad creaturas rationales.*

Amare autem ex beneuolentia, inquit Philosophus 2. Rhet. c. 4. *est velle bonum alicui illius gratia* quæ vltima particula importat amatum amore beneuolentiæ respici vt finem, non vt purum medium. Hæc est ratio propter quam inanimata non amantur amore beneuolentiæ, qui est principium amicitiæ; quia non possunt amari propter se, quia ex Philosopho 8 eth. c. 2. in nobis *non est voluntas illorum boni, est enim ridiculum vino bonum quempiam velle, quodsi vult, saluum illud vult esse, vt habeat ipse, & oportere aiunt amico bona illius gratia velle.* Quod Aristotelis dictum ita commentatur Angelicus litt. F. *Non sic amamus inanimata, vt sit nobis voluntas boni illorum Ridiculum enim esset dicere, quod aliquis vellet vino bonum, sed hoc bonum, quod est vinum, vult sibi ipsi, vnde per hoc quod homo amat vinum, non videtur esse beneuolus vino, sed sibi ipsi.*

Et

Et si aliquis dicat, quod homo vult bonum vino, quia vult, quod conseruetur, considerandum est, quod homo vult saluari vinum, vt habeat illud, & ita non vult salutem vini in quantum est bonum vino, sed in quantum est bonum sui ipsius Et hoc est contra rationem amicitiæ dicitur enim, quod oportet amico, velle bonum illius gratia, & non propter bonum amantis. Ne autem dubitares, an huiusmodi amor beneuolentiæ respiciens amatum propter se, ita esset necessarius omni amicitiæ, vt etiam intercedere deberet inter amicitiam hominis ad Deum, audisti S. Thomam 2. 2. q. 23. a. 1. vbi quærit an charitas sit amicitia hominis ad Deum, dicentem etiamin hac requiri quod *ita amemus aliquem, vt ei bonum velimus* quare etiam ista amicitia hominis ad Deum requirit Deum amari propter se, & vt finem.

CLXIX. De se patet homi-

nem in amore beneuolentiæ amari vt finem proximum; quod idem existimo necessarium esse in beneuolentia constituēte amicitiam hominis ad Deum; etenim in statu naturæ purę homo diligeret Deum super omnia, propterea vt finem vltimum, nec tamen amaret amore amicitiæ, docente S. Thoma in 3. d. 27. q. 2. a. 2. ad. 4. *Naturaliter diligitur summū bonum super omnia, in quantum habemus similitudinem ad ipsum per bona naturalia, sed quia natura non potest peruenire ad operationes eius, quæ sunt sua visio, & beatitudo; ideò ad amicitiam non pertingit, quæ facit eos conuiuere, & in omnibus communicare, ideo oportet addi charitatem, per quam habemus, vt ipsum amemus, & desideremus assimilari ei per participationem spiritualium donorum, vt participabilem per gloriam ab amicis suis.* Non sufficit ergo pro amicitia hominis ad Deum respectus in Deum, vt finem vlti-

vltimum, nisi respiciatur etiam, vt finis proximus, quod nobis innuunt nomina; quibus Iusti appellantur sponsi, filij adoptiui Dei, & similia, quæ omnia indicant Patrem, & sponsum amandum, vt finem proximum; & id etiam suadet ratio virtutis charitatis. Hæc vtpotè Theologica, a Deo vt obiecto specificatur; specificatio autem habituum desumitur a fine proximo; quare amicitia Dei eũdem respicit impræscindibiliter sub vtraque ratione finis, & vltimi, & proximi, propterea est amicitia superabundantiæ vnius personæ ad aliam, in qua, ait S. Thomas in 8. Ethic. lect. 7. lit. f. *Oportet fieri amationem secundum proportionem, vt scilicet melior plus ametur, quam amet, & similis ratio est de vtiliori, & delectabiliori, vel qualitercumque aliter excellentiori: cum enim vterque amatur secundum dignitatem, tunc fiet quædã æqualitas, scilicet proportionis, quæ vide-*

videtur ad amicitiam pertinere.

CLXX. Hic actus beneuolentiæ est principium amicitiæ: *Non enim possibile est*, addit idem Angelicus lib. 9. lect. 5. litt. e. *aliquos esse amicos, nisi prius facti fuerint beneuoli*. Et hæc, quæ dicuntur de amicitia naturali hominũ ad inuicem, applicans 2. 2. q. 27. a. 2. amicitię supernaturali hominis ad Deum, dicit, *in dilectione, secundum quod est actus charitatis, includitur beneuolentia; & propter hoc Philosophus dicit, quod beneuolentia est principium amicitiæ.*

CLXXI. Concordia est actus faciens amicitiam; hæc etenim, ex S. Thoma 2. 2. q. 23. a. 1. *est amor super communicatione fundatus*: quare fiunt amici duo, dum se inuicem propter se, & non vt purum medium amantes, eligunt in aliquo communicare, & conuiuere; *amicitia enim* ex q. 25. a. 4. eiusdem, vniònem quandam impor-

portat, vnde Dyonisius dicit, quod amor est virtus vnitiua; hæc autem vnio, & communicatio non debet esse transiens, si enim duo in vna aliqua operatione eligant communicare, vt itinerantes, qui semel simul comedunt, & bibunt, non dicuntur amici; quare oportet, vt in eo, in quo amicitiam contrahunt, conuiuant. viuere autem, est ad aliquem finem totius vitæ sibi propositum & præpositum tendere; quare conuiuere duorum erit, quod ambo eundem finem totius vitæ respiciant pro eo tempore, quo simul conuiuunt. Et id maxime verificatur de amicis Dei. Debet enim homo communicare, & conuiuere Deo, easdem cum Deo operationes eligens *Duplex* autẽ ait S. Thomas 2. 2. q. 23. a. 1. ad 1. *Est hominis vita vna exterior secundum naturam sensibilem, & corporalem: et secundum hanc vitam non est nobis conuersatio cum Deo, & An-*

& Angelis: alia est vita hominis spiritualis secundum mentem, & secundum hanc vitam est nobis conuersatio cum Deo, & Angelis, in præsenti quidem statu imperfectè; vnde dicitur Philipp. 3. Nostra conuersatio in Cœlis est. *Sed ista conuersatio perficietur in patria, quãdo serui eius seruient Deo, & videbunt faciem eius.* Debet igitur homo conuiuere Deo secundum partem rationalem: Cõmunicat autem peccator Deo in aliquibus operationibus; quia omnes actus supernaturales, quos elicit, sunt qua tales, diuini: cum supernaturalitas importet esse supra vires creaturę, non tamen per hoc dicitur amicus Dei, quia non cõuiuit Deo, hoc est finem totius vitæ non sibi præposuit operari opera Dei.

CLXXII. Sed quia etiã amor beneuolentiæ dicitur vnio, vt sciamus quid ista cõcordia, siue vnio, secundus actus amicitiæ, illamque constituens, importet supra beneuo-

volentiam, quæ eſt principium amicitiæ *duplex eſt* ex S. Thoma 1. 2. q. 28. a. 1. *Vnio amantis ad amatum Vna quidem ſecundum rem, puta cum amatũ presentialiter adeſt amanti: alia vero ſecundum affectũ, quæ quidem vnio conſideranda eſt ex apprehenſione præcedente, nam motus appetitiuus ſequitur apprehenſionem. Cum autem duplex ſit amor, concupiſcentiæ, & amicitiæ, vterque procedit ex quadam apprehenſione vnitatis amati ad amantem... Primam ergo vnionem amor facit affectiuè, quia mouet ad deſiderandum, & quærendum præſentiã amati, quaſi ſibi conuenientis, & ad ſe pertinentis. Secundam autem vnionem facit formaliter, quia ipſe amor eſt talis vnio, vel nexus; vnde Auguſtinus dicit 8. de Trinit. c.* 10. Amor eſt quaſi iunctura duo aliqua copulans, vel copulare appetens, *amantem ſcilicet, & amatum, quod enim dicit* copulans *refertur ad vnionem affectus, ſine*

qua

qua non est amor, quod autem dicit, copulare intendens, *pertinet ad vnionem realem*. Et ad 2. *Vnio tripliciter se habet ad amorem: quædam est causa amoris; & hæc, quantum ad amorem, quo quis amat se ipsum est vnio substantialis: quantum ad amorem, quo quis amat alia, est vnio similitudinis: quædam est essentialiter ipse amor, & hæc est vnio secundum coaptationem affectus .... quædam est effectus amorrs; & hæc est vnio realis, quam amans quærit de re amata; & hæc quidem vnio est secundum conuenientiam amoris; vt enim Philosophus dicit 2. Politic. 2. Aristophanes dixit, quod amantes desiderarent ex ambobus fieri vnum; sed quia ex hoc accideret, aut ambos, aut alterum corrumpi, quærunt vnionem, quæ conuenit, & decet, vt scilicet simul conuersentur, & simul colloquantur, & in alijs huiusmodi coniungantur*. Ad veram igitur amicitiam requiritur vnio tertia causata a secunda, sicut secunda cau-

causatur a prima, per quam amicus cum non possit fieri vnū amico physicè, fiat vnum in quantum potest, easdem operationes eligens, quæ sunt propriæ amici; & loquendo de amicitia hominis ad Deum, homo debet eligere operationes proprias Dei, quę sunt cognoscere, & amare, Deum, illumque respicere tanquam finem vltimum omnium omnino creaturarum, & sic etiam sui ipsius, eligens illi esse subiectum, illi adhærere, & in omnibus obsequi, vnde fit, quod hominem inhabitet Spiritus Sanctus, eiusque animæ vniatur effectiuè per gratiam, charitatem, & reliquas virtutes supernaturales, quibus fit proximè potens elicere operationes diuinas.

¶ CLXXIII. Apparet ex his concordiam non consistere in habitu, sed in actu, semper enim explicatur a Doctoribus per electionem, consensum, & similia, quæ important actum, non purum habi-

habitum. Ita Philosophus 9. Eth. c. 6. & S. Thomas in comentario ad prædictum caput. Et hoc etiam verificatur de concordia, quam causat amicitia hominis ad Deum; quare idem Angelicus 2. 2. q. 26. a. 1: ait. *Concordia propriè sumpta, est ad alterum, in quantum, scilicet, diuersorum cordium voluntates simùl in vnum consensum conueniunt* Et art. 4. *Inter amicabilia vnum ponitur identitas electionis vt apparet in 9. Eth, & Tullius dicit, quod amicorum est idem velle, & nolle* Et ad 2. *sicut philosophus dicit: Ad amicitiam non pertinet concordia in opinionibus, sed in bonis conferentibus ad vitam, præcipue in magnis, quia dissentire in aliquibus paruis quasi non videtur esse dissensus, & propter hoc nihil prohibet aliquos charitatem habentes, in opinionibus dissentire . . . similiter existente concordia in principalibus bonis, dissensio in aliquibus paruis non est contra charitatem. Procedit*

enim

enim talis dissensio ex diuersitate opinionum: Quare a. 4. pacem, quæ ex a. 1. importat prędictam concordiam, ponit actum procedentem ab habitu charitatis. Ex quibus non id intenditur, vt solum tunc sit concordia; vel pax, quãdo est actualis iste consensus, sed quod vt dicatur concordia esse inter duos, pręcedere debeat actus eligens eadem velle, & nolle in magnis, quæ amicus.

CLXXIV. Beneficentia est tertius actus amicitiæ, quia est actus exterior supponens circa amicum duos illos interiores: Amici enim est operari bonum ad amicum, nihilominus non est hic actus ita ãnexus amicitiæ, vt alij duo: contingit enĩ quod duo sint amici, & tamen alter non possit benefacere alteri, vel ob impotentiam sui, vel ob potentiam alterius; & hoc modo procedit amicitia hominis ad Deum, ille bonorum nostrorum non indiget, cum in ipso, & per ipsum

ipſum, & cum ipſo ſint omnia, *Mouet* Propterea ex S. Dyonisio S. Thomas 2. 2. q. 31. a. 1. ad. 1. *Amor ordinate ad mutuam beatitudinem, & inferiora conuertit ad ſuperiora, vt ab eis perficiãtur, & ſuperiora mouet ad inferiorum prouiſionem ... Ideo noſtrum non eſt Deo benefacere, ſed eum honorare, nos ei subÿciendo* nam vt addit in 3. d. 29. q. 1. a. 3. ad 4. *Ex noſtris operibus nihil ei accreſcit, vel accreſcere poteſt, sed ſi eſſet poſſibile, quod aliquid ei accreſceret, habẽs charitatẽ multo plura faceret propter beatitudinem ei conſeruandam, quam propter eam ſibi adipiſcendam.* Vbi tamen homo non poteſt operari, vnde accreſcat Deo beatitudo, & gloria intrinſeca, debet ad id conari, vt glorificetur extrinſecè, Deo autem accedit glorificatio ex hoc, quod recognoſcatur vt finis vltimus; non poteſt quidem quilibet homo euincere, vt omnes eum qua talem habeant,

ſed

ſed bene poteſt facere, vt ſit finis vltimus ſuæ vitæ, ſuarumque operationum,

CLXXV. Cum igitur iſti tres actus requirantur ad rationem veræ amicitiæ, etiam tertius modo explicato; nec gratia noui testamenti, quæ per Chriſtum facta eſt; habeat deſtruere; ſed perficere naturam amicitiæ, apparet, quod Sacramenta mortuorum habentia renouare amicitiam hominis ad Deum: exigant in homine huiuſmodi tres actus, vt conſequantur ſuum effectum; quando maxime S. Thomas explicuit amicitiam hominis ad Deum, per ea, quæ Philoſophus in libris ethicorum dixerat neceſsaria ad amicitiam hominum inter ſe, quę omnia cognita fuerunt vt neceſſaria pro renouanda amicitia hominis cum Deo in lege naturæ, & in lege Moyſi. Nec enim Sacramenta habent producere gratiam ſine diſpoſitionibus ad illam natu-

tu-

turaltier requisitis. Possunt quidem attingere formam sanctificantem tanquam Dei instrumenta, ita tamen vt instrumentum non operetur ad formam supra quam operatur Deus ipse causa principalis: Christus autem quãdo erat in mundo, & operabatur in mundo principaliter per suam Diuinitatem, & per humanitatem tanquam instrumentum vniuersale habens potestatem excellentiæ nunquam voluit operari gratiam in cordibus hominum, nisi simul cum gratia, attingeret prædictos actus, qui sunt vltima dispositio ad gratiam. Quare non video cur Christo ipso dicenda sint efficaciora Sacramenta mortuorum, habentia attingere gratiam sine vltima dispositione ad gratiam, præsertim, quia, vt dicam infrà virtus eorum saluari potest congruentissimè, si dicantur ideò a Christo instituta, vt per ea attingatur non solum gratia, sed etiam

ro-

roboretur, & confirmetur voluntas ad producendos actus, qui sint vltima dispositio ad gratiam.

CLXXVI. Diuidi potest amicitia ex S. Thoma 2. 2. q. 23. a. 5. *Vno modo secundum diuersitatem communicationum, in quibus amicitiæ fundantur, sicut alia species amicitiæ est consanguineorum, & alia conciuium, aut peregrinantium, quarum vna fundatur super communicatione naturali: alia super communicatione ciuili, vel peregrinationis, vt patet per Philosophum in 8. eth. Alio modo secundum diuersitatem finis, & secundum hoc dicuntur tres species amicitiæ, scilicet; amicitia, vtilis, delectabilis, & honesti*. Hæc diuisio locum habet in amicitia inter homines, cum quibus potest esse diuersa communicatio, & diuersus finis cõmunicandi. Circa quem finem sciendũ, quod in amicitia qualibet amicus amatur propter se, & sui ipsius gratia; hoc enim est de ratione

formali veræ amicitię, quare notat Angelicus 1. 2. q: 26. a. 4. ad 1. quod *in amicitia vtilis, & delectabilis, vult quidem aliquis aliquod bonum amico, & quantum ad hoc saluatur ibi ratio amicitiæ; sed quia illud bonum refert vlterius ad suam delectationem, & vtilitatem, inde est, quod amicitia vtilis, & delectabilis, in quantum trahitur ad amorē concupiscentiæ deficit a rationæ veræ amicitiæ*, quare etiamsi poneremus amicitiã, quæ renouatur per Sacramenta mortuorum inter Deum, & hominem, esse amicitiam vtilis, vel delectabilis, deberet ibi saluari ratio formalis amicitię, ita quod Deus amaretur propter se, & intercederent tres illi actus iuxtà modum explicatum; cęterum verius est, quod habet S. Doctor prædicto a. 5. ex q. 23. 2. 2. quod vna tantum specie sit amicitia hominis ad Deum, non distinguenda neque ex diuersitate communica

tio-

tionum, quia *vna est communicatio beatitudinis ęternæ super quam hæc amicitia fundatur*; neque ex diuersitate finium, quia *charitatis, quę est amicitia hominis ad Deum, est vnus finis, scilicet, diuinæ bonitas*; Et licet homo habeat oculũ ad mercedem, siue vtilitatem, & delectationem, tamen vt addit ad 2. *charitate diligitur Deus propter seipsum. Vnde vna sola ratio attenditur diligendi principaliter a charitate, idest diuina bonitas. quæ est eius substantia, secundum illud Psalm. 105. Confitemini Domino quoniam bonus. Alię autem rationes ad diligendum inducentes, vel debitum dilectionis facientes, sunt secundariæ, & consequentes ex prima.* Igitur quæcumque statuatur amicitia hominis ad Deum, ea debet primario respicere Deũ per actus constituentes veram amicitiam integratam ex actibus beneuolentiæ, concordiæ, & beneficentiæ ita vt hic vltimus quærat glorifica-

cationem extrinſecam Dei, qui conſtituatur finis vltimus ipſius hominis firmantis amicitiam.



CA-

CAPVT XVIII.

Liber assensus, & voluntaria cooperatio gratiæ iustificanti, est actus charitatis.

CLXXII. INter alias dispositiones, quas Tridentina Synodus dicit necessarias ad iustificationem impij sessione 6. c. 5. vt dictum est supra annumerat liberum esse asensũ, & cooperationem gratiæ, tam excitanti, quam adiuuanti; *ita vt tangente Deo cor hominis, neque homo ipse nihil omnino agat inspirationem illam recipiens, quippe qui illam & abijcere potest, neque tamen sine gratia Dei mouere se ad iustitiam coram illo libera sua voluntate possit.* Disponitur igitur homo ad iustitiam per gratiam, & excitantem, & adiuuantem, quæ a Synodo

dicitur *iustificationis exordium*, & per actum proprium, quo liberè recipit vtramque gratiam: cumque vbi suprà dictum sit gratiam habitualem esse verè, ac propriè gratiam adiuuantem, colligitur inde, quod ad saluandam Tridentini doctrinam necessarium est ponere, quod in hominis iustificatione, consensus liber, & coo-peratio gratię habituali, vt per eam Deus animā nostram inhabitet, sit dispositio ad eandem gratiam habitualem; quæ dispositio quia est in eodem instanti cum gratia, necessitans ad ipsam gratiam, erit vltima dispositio ad gratiam, & ad iustificationem; quare vt appareat, quæ debeat esse vltima dispositio ad gratiam, videndum est, cuius virtutis actus sit iste liber assensus, & voluntaria cooperatio gratiæ.

CLXXVIII. Antiqui Scholastici in eo fuere concordes, vt sit actus virtutis charitatis diligere

gra-

gratiam, ſeù, quod idem eſt velle gratiam, liberè aſſentiri gratiæ eique voluntariè cooperari. Ita Magiſter in 1.diſt. 17. his verbis: *Qui diligit ipſam dilectionem, qua diligit proximum, in eo ipſo Deum diligit, quia ipſa dilectio Deus eſt idest Spiritus Sanctus. Ne autem in re tanta aliquid de noſtro adſtruere videamur, ſacris auctoritatibus, quod dictum eſt, corroboremus. De hoc Auguſtinus 8.de Trin.c.7.* Qui proximum diligit, conſequens eſt, vt ipſam dilectionem diligat: Deus autem dilectio eſt; conſequens ergo eſt, vt prçcipuè Deum diligat. *Idem in eodem c. 8.* Deus dilectio eſt, vt ait Ioannes Apoſtolus. Vt quid ergo imus, & currimus in ſublimia cçlorum, & ima terrarum, quçrentes eum, qui apud nos eſt, ſi nos apud eum eſſe velimus. Nemo dicat, non noui quid diligam, diligat fratrem, & diligat eandem dilectionem. Magis enim nouit dilectionem, quam di-

diligit, quam fratrem, quem diligit. Ecce iam potes notiorem Deum habere, quam fratrem; planè notiorem, quia pręsentiorem, quia interiorem, quia certiorem. Amplectere dilectionem Deum, & amplectere dilectione Deum. *Cũ de dilectione diligimus fratrẽ, de Deo diligimus fratrem, nec fieri potest, vt eandem dilectionem non præcipuè diligamus, qua fratrem diligimus, quoniam Deus dilectio est.* Sciendum autem duo in pręfata doctrina intendisse Magistrum: alterum, quod charitas non esset aliquid creatum residens in anima, & in hoc relinquitur ab omnibus; verè enim per charitatem Spiritus Sanctus residet in anima, ita tamen, vt charitas sit donum Dei distinctum à Spiritu Sancto; alterum, quod diligens charitatem, & gratiam, hoc ipso diligat Deum, & sit actus charitatis diligere, ac velle charitatem; In hoc ab omnibus admittitur. Vnde

de S. Bonauentura ad illa verba, *qui proximum diligit, consequens est, vt ipsam dilectionem diligat*, sic ait in expositione textus: *Videtur ista consequentia non valere: quamuis enim possibile sit dilectionem diligi, non tamen necesse est quod aliquis diligat eam: multa enim frequenter amamus, quæ nollemus amare. Item dubitatur de ista consequentia, qui diligit dilectionem, consequens est, vt Deum diligat. Dicendum, quod vtraque consequentia bona est in proposito; quidam enim est amor, in quo non est quietatio, nec delectatio, nec complacentia, vt putà ille, qui est ex pronitate corruptionis, cui ratio obsistit; quidam verò est amor, qui est cum delectatione, complacentia, & quietatione, & in tali amore non est tantum acceptatio rei amatæ, imo etiã ipsius amoris, & talis amor est charitas; & ideò sequitur, qui amat proximum, amat dilectionem, idest acceptat; sed quoniam benè sequitur*

qui acceptat aliquid ex se, multò magis acceptat illud, in quo inuenitur ratio dilectionis, si dilectio eo ipso, quo dilectio acceptatur, maior dilectio magis acceptatur. Cum ergo dilectio nostra sit dilectio exemplata, & dilectio diuina, vt exemplar omnis rectæ dilectionis, & in illa est prima, & summa ratio omnis acceptationis, hinc sequitur, quod qui diligit dilectionem, diligit Deum. Vnde Augustinus arguit ex hac suppositione, quod ipsa charitas, siue dilectio proximi est dilectio cum acceptatione, & ex hac tenet prima consequentia, & ex alia suppositione, quod prima ratio acceptationis est in dilectione exemplante, nõ exẽplata, patet secunda. Et hoc idẽ ex professo probat ibid. p. 1. a. 1. q. 2.

Super eadem dist. S. Thomas q. 1. a. 5. *Aliquid*, inquit, *est diligibile dupliciter, vel sicut ratio dilectionis, vel sicut obiectum: sicut etiam color videtur, vt obiectum: & lumen vt ratio per quam color*

est

est visibilis in actu; sicut autem eodẽ actu videtur & color, & lux, ita etiã eodẽ actu diligitur, quod amatur vt obiectum, & vt ratio obiecti sciẽdũ est, igitur, quod charitas potest tripliciter sumi, vel pro charitate increata, quæ Spiritus Sanctus est, vel pro charitate habituali, vel pro actu charitatis, quodlibet autem istorum est ratio diligendi.. Charitatis habitus, vel actus diligitur dilectione cuiusdam complacentiæ: secundum quod diligere dicimus illud, quod approbamus, & quod esse volumus. Et ad 4. *Eodem actu numero diligitur diligens, & actus eius, & sic idem actus diligitur per actum, qui est ipse.* Sed & in 3. d. 28. q. 1. a 1. quærens an virtutes diligendę sint ex charitate, ait: *Cum charitas amorem includat, & aliquid addat, diligi aliquid ex charitate contingit dupliciter. Vno modo, sicut id, ad quod amicitia charitatis terminatur; & hoc modo.. non possunt virtutes diligi ex chari-*

tate, ſicut ad quod terminatur amor qui in charitate includitur, quamuis ad illud amicitia non ſit, & hic amor ordinatur ad amorem alterius, quod principaliter amatur, & concupiſcentiæ dilectio dicitur, ſicut amicus dicitur amare ſanitatem amici ſui, & hoc modo virtutes ex charitate diliguntur. Et ad 3. *Diligere dilectionem ad charitatem pertinet*.

CLXXIX. Eadem repetit 2. 2. quęſt. 25. a. 2. vbi in argumento, ſed contra affert authoritatẽ Auguſtini à Magiſtro adductam, & in corpore articuli firmat charitatem, cęteraſque virtutes, & beatitudinem ex charitate diligi, ratione naturali, quia *charitas amor quidam eſt: amor autem ex natura potentiæ, cuius eſt actus, habet, quod poſſit ſupra ſe ipſum reflecti, quia enim voluntatis obiectum eſt bonum vniuerſale, quidquid ſub ratione boni continetur, poteſt cadere ſub actu voluntatis; & quia ipſum velle eſt quoddam*

ho-

bonum, poteſt velle ſe velle. vnde ex hoc, quod amat aliquis, amat ſe amare. Quam doctrinam vniuerſaliter circa actus voluntatis præpoſuerat in 1. 2. quæſt. 16. a. 4. ad. 3. his verbis: *Quia actus voluntatis reflectuntur ſupra ſe ipſas; in quolibet actu voluntatis poteſt accipi conſenſus, & electio, & vſus, vt ſi dicatur, quod voluntas conſentit eligere, & conſentit ſe conſentire, & vtitur ſe ad conſentiendum.* Nec refert ab Angelico actum, quo diligitur charitas, vocari amorem concupiſcentię. Vt enim addit art. 3. *Per amicitiam amatur aliquid dupliciter: Vno modo amicus, ad quem amicitia habetur: alio modo bona, quæ amico optantur:* ſecundo *hoc modo poſſunt ex charitate diligi creaturæ irrationales, ſicut bona, quæ alijs volumus, in quantum ex charitate volumus eas conſeruari ad honorem Dei, & vtilitatem aliorum, & ſic etiam ex charitate Deus eas diligit.* Hoc

mo-

modo ex articulo 11. diligi possunt dæmones ex charitate. Ratio etiam suffragatur; nam actus iste, quo volumus charitatem, est virtuosus: quare debet dari habitus inclinans ad illum; nec alius esse potest, quam habitus charitatis, quæ primò & per se respicit Deũ, eiusque honorem; secundariò respicit conseruationem eorum, quę possunt conferre ad Dei gloriam; quare homo per eundem actum liberum, quo gratiæ consentit, eique cooperatur, respicit primariò Deum, & secundariò gratiam vt propterea si iuxtà Tridentinum disponimur ad iustificationem liberè assentiendo gratiæ, eique cooperando, dicendi simus ad illam disponi per actum amoris Dei propter se dilecti.

CAPVT XIX.

Non omnis amor Dei propter se dilecti, habet de se iustificare.

CLXXX. Actus iste charitatis, quo gratiæ sanctificanti liberè assentimur, & cooperamur, est dispositio simul existens cum ipsa gratia ceterum non est vnicus hic actus amoris requisitus; etenim Tridentina Synodus in cap. 6. enumerans reliquas dispositiones prærequisitas ad iustitiam consequendam vult, quod detestatio peccati precedat propositum baptismi, noue vitæ, & seruandi diuina mandata, quam detestationem precedat, & causet amor, quo iustificandi Deum tanquam omnis iustitiæ fontem diligere incipiant Et id est omnino conforme rationi: vltimum enim in executione

est

est primum in intentione, quare cum vltimò omnium in iustificatione ponatur vnio hominis ad Deum per charitatem, necesse est, quod primò omnium ad iustificationem requisitorum feratur voluntas hominis in hanc vnionem respicientem Deum, vt finem vltimum hominis: *Causarum enim ad inuicem subordinatarum* inquit S. Thomas 1.2. q. 1. a.2. *si prima subtrahatur, necesse est alias subtrahi. Prima autem inter omnes causas est causa finalis; non* quidem *oportet* addit a. 6. ad 3. *vt semper aliquis cogitet de vltimo fine, quandocunque aliquid appetit, vel operatur: sed virtus primæ intentionis, quæ est respectu vltimi finis, manet in quolibet appetitu cuiuscunque rei, etiamsi de vltimo fine actu non cogitetur: sicut non oportet, quod qui vadit, per viam in quolibet passu cogitet de fine.*

CLXXXI. Apparet igitur, quod adultus volens iustificari

per

per ſacramenta, ad quam iuſtificationem requiruntur plura media, & diſpoſitiones, vt iſtas in actu ponat, moueri debere ex intentione, vt Deus animam ſuam inhabitet, eamque ſibi ſubijciat in omnibus operationibus tanquam finis vltimus, quæ intentio eſt verè amor Dei, quia prima omniũ paſſionum eſt amor. Qui verò negant ad iuſtificationem per ſacramenta requiri aliqualem amorem Dei propter ſe dilecti, ex eo videntur moti, quia exiſtimant ex omni huiuſmodi amore hominem de ſe iuſtificari; vnde ſi neceſſarius eſſet amor ad ſacramenta, ſemper antequam illa ſuſciperet, inueniretur homo iuſtificatus nec vnquam efficacia ſacramentorum poſſet in culpam; & quamuis quæ huc vſque dicta ſunt, ſatis oſtendere poſſint, non eam eſſe vim cuiuslibet amoris propter ſe dilecti, vt ſtatim iuſtificet abſque ſacramentis, tamen quo ma-

magis id conuinci possit.

CLXXXII. Primò probatur non omnem amorem Dei propter se dilecti statim iustificare ex Luc. 7. Narratur hic de Magdalena, vt cognouit, quod Iesus accubuisset in domo Pharisæi, attulisse alabastrum vnguenti retrò secùs pedes eius, lachrymis cępisse rigare, capillis capitis tergere, osculari, & vnguento vngere; quibus omnibus peractis, patienterque latis improperijs Pharisæi, dixit tandem Christus: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*. Omnes illos actus exteriores operata est Magdalena ex imperio actus interioris, qui erat amor Dei, & quidem propter se dilecti; conueniunt enim aduersarij, quod extra sacramenta nec ipsa Magdalena fuerit iustificata sine hoc amore, cum igitur etiam tempore in Magdalena præcesserit prædictus amor, tamen iustificatio subsecu-

ta

ta est post tot actus elicitos ex vi amoris; & remissio facta fuit cum Christus dixit. *Remittuntur peccata tua*, quæ quidem verba in Greco explicantur per Aoristum primum præsentis temporis; & propterea non est omninò certum in eo instanti fuisse remissionem, ne potuisse aliquantulum præcedere, nihilominus quidquid sit de instanti iustificationis à culpa, intentio se iustificandi in Magdalena pręcessit omnes illos actus, quia vt cognouit, vtique per scientiam practicam, attulit alabastrum; & plerique Patrum asserunt eam immundam intrasse domum Pharisæi, cum tamen intrauerit ex intentione remissionis peccatorum. Ita Augustinus hom. 23. inter 50. *Accessit ad Dominum immunda, vt rediret munda.. Accessit ęgra, vt rediret sana;* In quibus verbis particula, vt denotat ex intentione redeundi mundam, accessisse immundam. Gregorius
hom.

hom. 33. in Euang. *Quæ ad medicum venerat ęgra, sanata est. . Pensemus quantæ pietatis fuerit peccatricem mulierem non solum ad se admittere, sed etiam ei ad vngendum pedes præbere. Ad vos fratres oculos mentis reducite, & pænitentem peccatricem mulierem in exemplum vobis imitationis anteferte.* Ephræm Syrus à Combefis adductus in Bibliotheca Concionatoria ad festum S. Mariæ Magdalenæ habet longissimam homiliam, in qua fusè explicat intentionem à Maria firmatam se iustificandi, actus omnes sermonemque cum aromatario habitum, vt illi venderet alabastrum vnguenti: Digna est, vt tota legatur. Interim ego hæc tantum noto breuitatis gratia. Ad discumbentem accessit: *Vides eminentem animæ promptitudinem, & desiderium. . Vnum hoc apud se cogitans, dicensque: Si totam meam faciem quasi ferream, aut æream non tradidero, saluari non*

potero . . non potero occulti mei desiderij compos fieri . . nunc tempus magni certaminis . . quærendique Authorem vitæ. Cognosco hoc tempus esse eorum, qui saluari volunt. Contemnam irrisiones . . contendam ad desiderati absconditam salutem. Hinc abiens magno procidam Medico . . Ingressa dicam ipsi omnia, quæ in corpore meo illicitè egi. . in bonum commutare volo . . . quid igitur faciendo . . ad benefactorem meum ingrediar . . Magnoperè de hoc laboro . . paruum aliquod donum cogito sumere . . & sic ad eum pergere . . Hoc bonum propositum cum haberet . . tempus obseruabat, quo posset vehementissimum animæ suæ desiderium explere . . . cognoscens porro , quod Simon inuitasset Saluatorem, exultauit , & currens abijt magno cum animi ardore ad vnguentarium . . Dixit ad eum, vnguentum quæro pretiosum ; nam cui illud fero, maior omnibus est . . Vides quo pacto flagret anima, & inarde-

descat cor meum . . Vereor, ne fortè tempus mei desiderij prætereat . . . si latentem cordis mei nosses amorem, iam dudum mihi præbuisses . Vidi sanctum Medicum, & anima mea illius pulchritudine capta est . . quomodo viuam, nisi ad ipsum accessero . . cum inuenerim Medicum talem . . festino tradere optimo indultori syngrapham debitorum . . sumpto alabastro mulier læta abijt , & orans intra se dixit quis dabit mihi ostium apertum . . Saluator mihi concede , vt accedens sine impedimento ingrediar . . dum hæc diceret peruenit ad domum . statim à tergo ad eum accessit . . Solo corde mulier peccatrix orauit Creatorem . Ecce post quot, & quantos actus amoris Dei propter se dilecti , adhuc vocetur peccatrix in Domo Pharisæi ?

CLXXXIII. S. Ioannes Chrysostomus ab eodem Combefis adductus totam seriem conuersionis contractius, quam S. Ephrem re-

pe-

petit, & in alia homilia addit: *Dominus se ad orantem inclinans, desideratæ eam sententiæ compotem facit habentis remissionem peccatorum Remittuntur tibi peccata tua. Diruptæ sunt vitæ malæ catenæ, dissoluta nequitiæ vincula.. Ego iudex absoluo.. Cogita vt repente exaltata sis.. Venisti vt rea. venisti tanquam saucia.. regenerata es. verbum meum, tuum baptisma effectum est.* S. Bernardus serm. de S. Maria Magdalena: *Filium virginis mulier infrunita contingit peccatricis, & menstruatæ manibus attrectatur. Tangit pedes mundi, atque mundantis immunda, & vestigijs Creatoris mulier criminosa procumbit.* Gilibertus serm. 33. in Cant. *Mulier illa, quæ erat in Ciuitate peccatrix, Maria nomine, quam fetida erat, quando accessit ad pedes Iesus in domo Simonis leprosi?* S. Bonauentura in 7. Luc. v. 36. *Ostenditur pietatis afluentia in Domino Iesu, magna in peccatricis susce-*

sceptione : maior in approbàtione : maxima in absolutione .... Introducitur benigna susceptio peccatricis accedentis .. Vnguentum attulit peccatrix in domum Pharisæi in qua cognouit Christum esse . Quantum ad affectum beneuolentiæ additur Capillis capitis sui tergebat, osculabatur pedes , & vnguento vngebat, *vbi ostenditur dilectio beneuolentiæ pura, affectuosa , & deuota* . Ex quibus patet agnouisse Patres pro aliquo tempore in Magdalena amorem Dei propter se dilecti , qui tamen pro eodem instanti non iustificauerit ; vnde autem id processerit , non est meum nunc inuestigare , quando id solum contendo non semper immediatè subsequi iustificationem ad omnem amorem Dei propter se dilecti .

CLXXXIV. Idem ostenditur ex parabola filij prodigì , quam Lucas refert cap. 15. Excitatus ille propter famem , quam patieba-

batur, *in se reuersus dixit : quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo*; & hoc dicto proposuit surgere, ire ad patrem suum, confiteri peccata illis verbis ? *Pater peccaui in cælum, & coram te*, quæ verba ita glossatur Caietanus: *Apparet, quod non velleitate, sed voluntate deliberatè proposuit surgam, & ibo, & dicam : effectus enim hoc testatur*. Cum huiusmodi proposito surgens venit ad patrem suum, qui illum à longè videns, misericordià motus, accurrit, & cecidit super collum eius & osculatus est eum : vbi Caietanus: *Amplexus cum osculo est gratia reconcilians*, & S. Bonauentura *Osculatus est eum per gratiam subsequentem, quæ consistit in amore reconciliante*. Cumque parabola hæc figuret impium volentem iustificari, satis apparet, ante osculum pacis, & reconciliationem, debere præcedere propositum vo-

O lun-

luntatis deliberatę surgendi à peccato, eundi affectibus cordis ad Deum, confitendi peccata; Ad quod tamen propositum non immediatè sequitur amor reconcilians, imò cum huiusmodi propositum sit amor Dei, non tamen est amor reconcilians, sed antequam infundatur gratia reconciliatiua, & iustificans, debet aliquid aliud operari peccator in vim primi propositi, nempè, surgere à peccato, & actu ire ad patrem, ad quem si magnis affectibus appropinquet, poterit contingere, quod iustificetur ante sacramentalem confessionem in actu positam, vti contigit filio prodigo, quem à longè videns pater accurrit, & misericordià motus, osculatus est eum per gratiã reconciliatiuam, antequam filius diceret *Pater peccaui*.

CLXXXV. *Duo homines* Luc. 18. *ascenderunt in templum, vt orarent, vnus Pharisaeus, & alter Publi-*

blicanus. Publicanus à longè stans nolebat nec oculos ad cęlum leuare, sed percutiebat pectus suum dicens: Deus propitius esto mihi peccatori: non antequam templum ingrederetur, non in principio suæ orationis, & pænitentiæ, sed oratione completà descendit hic iustificatus; & tamen antequam templum ingrederetur, habuit aliqualem amorem Dei propter se dilecti: Ambo enim ascenderunt in Templum, vt orarent, *per intentionem conformem* ait ad illa verba S. Bonauentura, *& etiam laudabilem*. Est autem in genere necessaria oratio cuilibet peccatori ad impetrandam iustificationem, quare si oratio importet aliquem amorem Dei propter se dilecti, apparebit non omnem huiusmodi amorem iustificare, quandoquidem qui orat pro iustificatione obtinendà, non semper est iustificatus, dum orat: Oratio autem ex S. Thoma 2. 2. q. 83. a. 1. est

actus intellectiuę virtutis, cuius, vt loquitur ad 1. *desiderium* actus appetitiuę, *est causa, cum petitio quodammodo sit desiderij interpres,* & ad 2. *Voluntas mouet rationem ad suum finem; vnde nihil prohibet mouente voluntate, actum rationis tendere in finem charitatis, qui est Deo vniri. Tendit autem oratio in Deum, quasi à voluntate charitatis mòta, dupliciter: vno quidem modo, ex parte eius, quod petitur, quia hoc est præcipuè in oratione petendum, vt Deo vniamur secundum illud Ps.* 26. Vnam petij à Domino; hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitę meę. *Alio modo ex parte petentis, quem oportet accedere mente ad Deum.* Duo igitur importat oratio, aliud de substantiali; & hoc est, quod sit actus rationis practicæ; aliud de presupposito, quia supponit actum voluntatis mouentis rationem practicam quare peccator orans Deum pro im-

impetrandà iustificatione presupponitur desiderare iustificationem. Additque art. 3. ad 2. *Non solum petere, quod desideramus, sed etiam rectè aliquid desiderare cadit sub præcepto charitatis: petere autem sub præcepto religionis* quare homo orans habet desiderium sibi impositum à præcepto charitatis: charitas autem omnes suos actus habet elicere, vt primariò respicientes Deum; quare orans ad obtinendam iustificationem, antequam obtineat, habet actum amoris Dei propter se dilecti, à quo tamen non immediatè iustificatur. In vi, & ex vi huius actus ascẽdit in templum Publicanus, vt oraret, ex vi etiam illius percutiebat pectus suum dicens: Deus propitius esto mihi peccatori, non audens nec oculos ad cælum leuare. In quorum fine descendit iustificatus in domum suam, obtentà remissione peccatorum, quam petebat; vt propterea dici non possit, ad quemlibet amorem Dei

propter se dilecti, immediatè subsequi iustificationem.

CLXXXVI. Id ipsum ratione probatur: amor enim beneuolentię ex pluribus capitibus non sufficit ad rationem amicitię, vt ex professo probat Aristoteles 8. & 9. Eth., quidquid autem sit de amicitia hominum ad inuicem, S. Thomas 2.2. q. 27. a. 2. quærit, an amor beneuolentiæ sit idem quod actus charitatis, & probat non esse idem beneuolentiam, & charitatem, quia *in dilectione, secundum quod est actus charitatis includitur beneuolentia, sed dilectio siue amor addit vnionem affectus, & propter hoc Philosophus dicit, quod beneuolentia est principium amicitiæ.* Clarius in 3.d. 27. a. 1. his verbis: *Amor propriè dicitur, secundum quod inuenitur in appetitu sensitiuo: secundum autem quod inuenitur in intellectiuà parte dicitur dilectio, quæ electionem includit, quæ ad appetitum intellectiuũ pertinet. Nihilominus nomen amoris*

etiam

etiam ad superiorem partem transfertur: nomen autem dilectionis ad inferiorem nunquam. Omnia autem alia nomina, quæ ad amorem pertinere videntur, vel includuntur ab illis, vel includunt ea, quasi addentia aliquid suprà dilectionem, & amorem: quia enim amor vnit quodammodò amantem amato, ideò amans se habet ad amatum, quasi ad se ipsum, vel ad id, quod est de perfectione sui. Ad se ipsum autem, & ad ea, quæ sui sunt, hoc modo se habet, vt primò velit sibi præsens esse, quod de perfectione suà est, & ideò amor includit concupiscentiam amati, qua desideratur eius præsentia: secundò homo alia retorquet in se ipsum per affectum, & sibi appetit quæcunque sibi expediunt, & secundum quod hoc ad amatum efficitur, beneuolentiam includit, secundum quam aliquis amato bona desiderat; tertiò homo ea, quæ sibi appetit, operando sibi acquirit; & secundum quod hoc ad

alium exercetur, beneficentia in amore includitur. quartò homo, quæ sibi bona videntur, implere consentit; & secundum quod hoc ad amicum fit, amor concordiam includit, secundum quam aliquis consentit in his, quæ amico videntur . . . Amor tamen super quatuor prædicta aliquid addit, scilicet, quietationem appetitus in re amatà, sine quà quodlibet prædictorum quatuor esse potest: sunt etiam quædam, quæ super dilectionem, vel amorem aliquid addunt: Amatio enim super amorem addit intensionem quandam amoris, quasi feruorem quendam: Amicitia verò addit duo, quorum vnum est societas quædam amantis, & amati in amore, vt, scilicet, mutuò diligere se sciant: Aliud est, vt electione operentur, non tantum ex passione . . . sic ergo patet, quod amicitia est perfectissimum inter ea, quæ ad amorem pertinent, omnia prædicta includens, vnde in genere huiusmodi ponenda est charitas, quæ est quædam amicitia ha-

hominis ad Deum, per quam homo Deum diligit, & Deus hominem, & sic efficitur quædam associatio hominis ad Deum. Et ad 2. *dicendum, quod charitas addit aliquid suprà dilectionem, & amorem, & similiter dicendum de beneuolentià, de concordià, & beneficentià*, adeò vt amicitia addat suprà illa, quod explicatum est in corpore articuli.

CLXXXVII. Secunda ratio ad ostendendum, quod non omnis amor Dei propter se dilecti habeat de se iustificare, desumitur ex parte desiderij: desiderium enim propriè loquendo *importat* ex S. Thoma 1. 2. q. 33. a 2. *appetitum*, seu amorem *rei non habitæ*, & hoc dicit de essentiali, tamen, vt addit in 3. d. 27. q. 1. ad 1. præsupponit amorem finis quem *sequitur, quamuis præcedat amorem eorum, quæ sunt ad finem.* Igitur cum desiderium qua talè supponat animam hominis non in-

inhabitare Spiritum Sanctum, ex duplici capite ostendit non omnem amorem Dei propter se dilecti iustificare, primò, quia desiderium est actus amoris: secundò quia præsupponit in desiderante amorem finis, nempè Dei, cuius inhabitatio in animâ desideratur, & propter quam impetrandam eliguntur deinde media: Quod vt magis appareat, videndum est, cuius virtutis actus sit desiderium, & quidem S. Thomas 2. 2. q. 51. a. 2. docet, quod quia *ex eodem dependet bonitas amoris, desiderij, & gaudij, ideò omnia ista pertinent ad eandem virtutem charitatis*; idem dixerat q. 28. a. 4. his verbis: *Idem est habitus virtutis, qui inclinat ad diligendum, & ad desiderandum bonum dilectum, & ad gaudendum de Deo: sed quia dilectio inter hos actus est prior, inde est, quod virtus non denominatur a gaudio, nec a desiderio, sed a dilectione, & dicitur*

citur

citur charitas, vbi etiam ad 2. dat rationem, quare actus spei pertineat ad aliam virtutem, quia, scilicet, addit nouam rationem ardui. Propter quam rationem in 1. 2. q. 40. a. 1. voluit, quod desiderium sit in concupiscibili, spes autẽ in irascibili, differatque *spes a desiderio, sicuti differunt passiones irascibilis a passionibus concupiscibilis, & propter hoc spes præsupponit desiderium, sicuti passiones irascibilis præsupponunt passiones concupiscibilis*: quare si nequit intelligi adultum iustificari, nisi velit, & desideret iustificationem; quod desiderium est actus charitatis habentis tendere in Deum propter se, apparet non posse iustificari sine amore Dei propter se dilecti.

CLXXXVIII. Nec officit à S. Thomà desiderium vocari actum charitatis, vndè videatur præsupponi habitus in desiderante, quem tamen nolumus præsup-

poni: nam idem Angelicus in 3. d. 26. q. 2. a. 3. queſtiunculà 2. ait: *Motus appetitus incipit in deſiderio & terminatur in amore completo, & ideò deſiderium eſt quędam inchoatio amoris, & quaſi quidam amor imperfectus.* Eſt autem differentia inter actus imperfectos, & perfectos charitatis, quod hi ſupponunt habitum charitatis: illi poſſunt elici etiam a non habente habitum; Hæc eſt doctrina S. Thomæ in 2. d. 3. q. 3. ad 1. propoſita ſub his verbis: *Actus charitatis poteſt dici dupliciter, vel qui eſt ex charitate, & hic non eſt niſi in habente charitatem: vel qui eſt ad charitatem, non ſicut meritorius vel generatiuus, ſed ſicut præparatiuus, & ſic actus charitatis ante charitatem habitam haberi poteſt ſicut facere iuſta eſt ante habitum iuſtitiæ:* vbi notanda ſunt illa verba, *non ſicut meritorius, & generatiuus, ſed ſicut præparatiuus:* innuit enim tres actus charitatis.

Pri-

primum, quo meremur eius augmentum; secundum, quo generatur in bonis habitus charitatis, & hic est vltima dispositio ad charitatem, & gratiam: tertium, quo præparatur homo ad charitatem. Additque in eadem responsione *cum igitur Habens charitatem diligit Deum propter se ipsum, ly propter denotat habitudinem finis, & efficientis, quia ipse Deus superaddit naturæ, vnde in eius dilectionem tendat, sed cum dicitur de carente charitate, quod diligit Deum propter se ipsum, ly propter denotat habitudinem finis, & non efficientis proximi, nisi sicut Deus in omni natura operante operatur.*

CLXXXIX. Hęc omnia nituntur fundatissimis rationibus, vt propterea necesse non sit longius excurrere adducendo dicta Magistrorum, qui agnouerunt huiusmodi imperfectum amorem Dei propter se dilecti, ante habitū charitatis; cæterum quia ma-

maximus audit Bellarminus, inter Catholicos, non erit ingratum eius sententiam referre super hoc amore imperfecto Dei. Ille igitur l. 2. de pœnit. c. 14. ad quintam obiectionem sic ait: *Catechumeni. & Pœnitentes si per inchoatam dilectionem Dei (vt loquitur Tridentinum sess. 6. c. 6.) paulatim disponuntur ad gratiam, non habent illi quidem remissionem peccatorum, sed neque ex eorum numero habendi sunt, quos 1. Cor. 16. Apostolus execratur: ille si quidem eis tantum anathema dicit, qui Christum neque perfectè, neque imperfectè diligunt*. Et ad 6. *Catechumeni, & pœnitentes dum perfectè diligere incipiunt, simul viuere incipiunt, perfectè victuri, quando perfectè diligent, quare pulchre Augustinus l. 1. ad simpl. qu. 2. Catechumenos comparat embrionibus, qui in vteris matrum concepti viuere incipiunt, sed nascuntur postea per baptismum, vt ad vitam perueniant*

niant sempiternam. Et ad 11. obiectionem desumptam ex Tridentino sess. 6. c. 6. & ex Arausicani can. vltimo dicente *Deus nullis præcedentibus maritis fidem, & amorem sui prius inspirat, vt baptismi Sacramentum fideliter requiramus*, respondet. . *Arausicanum aperte distinguit amorem illum imperfectum, quem habent homines ante remissionem peccatorum, a verà charitate*. . . *Tridentinum Clarissimè distinguit imperfectum illum amorem a charitate, quam cap. 7. dicit cum remissione peccatorum simul infundi*. Ad 14. obiectionem ex Augustino dicente, quod boni cupiditas est charitas: *Augustinus non dicit quodlibet initium cupiditatis boni esse charitatem; sed ipsam perfectam boni cupiditatem: distinguit enim initium charitatis ab ipsà charitate, & vtrumque dicit esse ex Deo, quia qui infundit charitatem, ipse idem anteà inspirat bona desideria, quibus homo dispo-*

nitur

nitur ad charitatem. Id quod clarius docet l. de gratia, & lib. arb. c. 18. Sine ſuo fructu, inquit, admoneretur liberum arbitrium quærere Dei donum, de quo Ioannes ait, *Dilectio ex Deo eſt* niſi prius acciperet aliquid dilectionis. *Hic vides dari homini aliquid dilectionis, quod nondum charitas dici poteſt, & per illud diſponi ad veram charitatem, de qua Ioannes ait* Charitas ex Deo eſt. Ex his apparet gratiam, & charitatem in ſui introductione imitari cæteras formas naturales. Intro ducuntur hæ per plures minus, & magis perfectas diſpoſitiones, ita quod vltima tantum, quę eſt perfecta diſpoſitio, ſit ſimul cum formà, procedens in ſententia Thomiſtarum efficientèr ab ipſa formà, quam præcedit in genère cauſæ materialis. Vltima diſpoſitio, nempè octauus gradus caloris, eſt ſimul cum ipsà formà ignis; cæteri priores gradus dicuntur

cuntur quidem esse effectus ignis quia calefacere de se conuenit igni, tamen produci possunt ab agente extrinseco, antequam in subiecto sit forma ignis, quia sunt imperfectæ dispositiones ad formam ignis: Ita in proposito, initium dilectionis, amor imperfectus Dei propter se dilecti, desiderium, & similes actus dicuntur actus charitatis, vt audisti ex S. Thomà, quia charitas de se nata est illos efficere, adhuc tamen quia sunt imperfectæ dispositiones ad charitatem, elici possunt per auxilium Dei transiens, antequam infundatur habitus charitatis, & gratiæ, qui est per modum naturæ.

CAPVT XX.

Explicatur modus iustificationis tam extrà Sacramenta, quam in Sacramentis.

CXC. AD ordinariam iustificationem peccatoris debent præcedere complures dispositiones ex Tridentino traditæ suprà. Concurrunt autem in iustificatione per Sacramentum pęnitentiæ plures actus plurium virtutum, & omissà consideratione virtutum, quę requiruntur ad quemlibet actum bonum, vt sunt Eubulia, Synesis, Prudentia, & aliquando Gnome, necnon reliquarum virtutum moralium, sine quibus nullus actus potest hic, & nunc esse bonus, in confessione Sacramentali exercentur actus religionis virtutis, & doni pietatis, cum vnicè homo se subdat alteri homini prop-

propter Deum, quem respicit, vt patrem; exercetur actus iustitiæ secundum quod potest intercedere inter Deum, & hominem, dando, si non ad ęqualitatem Deo saltem quod potest, & debet Deo reddere; & exercetur secundum ambas integrales iustitię partes, quæ sunt declinare a malo, & facere bonum, declinat enim pænitens ab inferendo malo alteri, nempè, Deo, & facit bonum reddendo illi honorem, iuxtà quod Christus iussit reddi; exercetur actus beneficentiæ, qui est actus charitatis ex S. Thoma 2. 2. q. 31. a. 1. Deum honorando, nosque homini propter Deum subijciendo, secundum quod, vt ait ad 1. vnicè nos possumus Deo benefacere, exercetur actus obedientiæ, exequendo, quod Christus præcepit; actus fidei, dum credit a Deo talem potestatem absoluendi datam hominibus; actus spei, nec enim se subijceret homi-

homini, nisi speraret a Deo veniam; actus gratitudinis, dum Deo liberaliter vocanti rependit aliquid proprium, scilicèt, erubescentiam in aperiendo sua peccata Confessario; actus patientię contrà tristitiam in nobis excitatam, ex hoc, quod est alteri se subijcere; actus fortitudinis contrà timores insurgentes ex apprehensione periculorum, quæ nobis imminere possunt ex reuelatione criminum occultorum; actus humilitatis, dum homo se subijcit alteri homini, & vt vno verbo concludam exercentur actus omnium ferè virtutum. Ad quod respiciens Scotus in 4. d. 14. q. 2. n. 11. dixit *actum pęnitendi non esse actum virtutis specialis, sed cuiuscumque virtutis appetitiuæ*, quod ego intelligo, pęnitentiam esse actum cuiuscunque virtutis, quia omnes ad eam debent concurrere, vel eliciendo, vel imperando.

Se-

CXCI. Series igitur actuum ad iustificationem prærequisitorum poterit disponi iuxtà ordinem passionum a S. Thomà stabilitum 1. 2. q. 25. primò aptatur, seù proportionatur voluntas ad bonum iustificationis, seù ad bonum, quod est Spiritum Sanctum inhabitare animam, per actum amoris, qui nihil aliud est, quàm complacentia iustificationis. Ad hanc mouetur voluntas per desiderium, tandem illam intendit, & proponit se iustificare, quod propositum est actus intellectus supponens intentionem finis, cum enim voluntas vnita fuerit per affectum complacentię, iustificationi, videns bonum esse eidem vniri effectiuè per realem inhabitantiam Spiritus Sancti in anima, intendit, & proponit habere effectiuè Spiritum Sanctum inhabitantem; quem vt consequatur, eli-

git media necessaria: hæc autem sunt actus enumerati n. præcedente, spectantes alij ad irascibilem; alij ad concupiscibilem, & modò quidem præcedunt hi, modò illi, iuxtà dispositionem subiecti; quibus positis vltimus omnium est actus concupiscibilis quo voluntas fruitur, & delectatur iustificatione obtentà, in quà est *vnio realis*, vt idem ibidem docet a. 2. ad 2. *secundum coniunctionem* ad ipsum Spiritum Sanctum, & talis *vnio pertinet ad gaudium, vel delectationem, quæ sequitur desiderium; cum vnio affectiua secundum quod aliquid habet aptitudinem, vel proportionem, præcedat motum desiderij*. Ista verò fruitio, & delectatio tantùm venit nomine amoris: quare S. Doctor in 3. d. 27. q. 3. a. 3. quæstiunculà secundà ad 3. respondens authoritati Augustini dicentis omnem affectionem procedere ex amore ait: *Ibi accipitur*

tur amor largè pro amore imperfecto, quod est desiderium: quod est primus motus appetitiuæ virtutis: desiderium autem non sufficit ad formandos actus virtutum. Iuxtà quæ in c. questiunculę, distinxit amorem a desiderio, quia *amor quodammodò importat quandam connaturalitatem, & conuenientiam ad amicum, quod quidem perficitur, dum amatum aliquo modo habetur: desiderium autem importat motum in ipsum amabile nondum habitum; vnde motus appetitus incipit in desiderio, & terminatur in amore completo.. Ideò spes præsupponit desiderium, & est media inter amorem, & desiderium*.

CXCII. Prædicti motus cõcurrunt ad iustificationem ordinariam per Sacramenta, cęterum potest contingere, quod homo iustificetur ante Sacramentum actu susceptum per solum Sacramenti votum. Cassiodorus enim apud Magistrum in 4. d. 17. litt.

A.

A. ait. *Magna pietas Dei, quod ad solam promissionem peccatum dimiserit: votum enim pro operatione iudicatur*, & res hęc certa est definita a Tridentino sess. 14. c. 4. quare non oportet eam pluribus probare; Vnicè disquirendum est, quid hic veniat nomine voti, quod explicans Albertus Magnus in 4. d. 17. a. 2. *Votum, inquit, duplex est, plenum, & semiplenum: plenum in quibusdam actibus impossibile est propter vehementem voliti in actu delectationem, est autem in omnibus possibile votum esse plenum, quæ non habent vehementem delectationem in carne, sicut est in luxuriâ, in aliis autem actus non addit multum delectationis, sed potiùs affert tristitiam*. Et S. Bonauentura commentãs textum Magistri: *Votum dicitur firmum propositum, & hoc computatur pro operatione, non quia tantum valeat, sed quia hoc Deus acceptat: & si adsit votum, & desit facultas, Deus excusa-*

cusatum habet, & vbi adest facultas, antequam perueniat ad opus, reputat conueniens ad obtinendam gratiam. S. Thomas ibidem; *Hoc intelligendum tam in bonis, quam in malis, quando est votum plenum, ita quod ab executione nihil retardat, nisi impotentia, si autem operatio adiuncta addat aliquid ad voluntatem, sicut in illis operibus quæ habent in ipso actu delectationem voluntatem prouocantem, tunc operatio addit etiam, quantum ad meritum, vel demeritum substantiale: alias non.* Quam doctrinam repetit in 1. 2. q. 20. a. 4. vbi quęrens. an actus exterior addat aliquid bonitatis, vel malitiæ ad actum interiorē, dicit augeri posse bonitatem, vel malitiam per actus delectabiles, & pœnosos, quia nati sunt intendere, & remittere voluntatem, quod si *loquamur de bonitate exterioris actus quam habet ex bonitate finis, tunc actus exterior nihil addit ad boni-*

 tatem

tatem, vbi Angelicus nomine exterioris intelligit actum electiuum mediorum; & nomine interioris actum intentiuum finis.

CXCIII. Et quia pro iustificatione obtinendâ Christus præcepit non solum bonitatem intentionis, verum etiam bonitatem actuum explicatorum suprà ideò non sufficit, vt quis iustificetur, seù vt quis effectiuè vniatur Deo per realem inhabitantiã Spiritus Sancti in nobis, vnio sola affectiua bonæ intentionis, quęcunque illa sit; sed prætereà requiritur, quod intentio adeò bona sit, vt eminenter præcontineat perfectionem, & bonitatem actuum, qui sunt electiui talium mediorum; quando adeò plenè perfecta est intentio, tunc plenum est votum confessionis, quod quidem raró contingit: pænalitas enim & tormentum, quod homo experitur in actuali confessione, non ita facile superari potest per solam

solam voluntatem, sed tamen id aliquando contingit; quare aliquandò, vt loquitur Tridentinum, contritio est charitate perfecta ante susceptionem Sacramenti, quia aliquando tam in bonis, quam in malis potest intentio esse ita vehemens, vt sine actu externo habeat totam bonitatem, vel malitiam, imò maiorem; quam habeat alius coniungens actum internum cum externo. Hoc videre est in peccatis contrà castitatem. Potest enim aliquis adeò vehemẽter per solum actum internum intendere delectationem veneream, vt sola illa intentio habeat totam malitiam, & maiorem, quam habet alius in intentione coniunctà experimentali delectationi, licet hoc non ordinariè contingat, & in prædicto casu meretur homo pœnam illam omnem, quam meretur alius coniungens intentionem executioni. Quare a con-

trariò idem præmium; & eundem effectum iustificationis merebitur habens contritionem adeò vehementem, etiamsi non ponat actus bonos externos in confessione concurrentes, quem habet ponens prædictos actus externos.

CXCIV. Quam doctrinam, expresse videtur tradidisse S. Thomas in 1. d. 17. q. 2. a. 3. his verbis: *Actus, qui præcedit charitatem, quandoque vnus solus disponit vltimà dispositione, vt infundatur charitas, secundum immobilitatem diuinæ bonitatis, per quam vnicuique largitur, secundum quod est preparatum ad recipiẽdum: quandoque autem vnus actus non disponit, nisi dispositione remotà & sequens actus magis disponit, & sic deinceps, secundum quod ex multis bonis actibus peruenitur ad vltimã dispositionem, in quantum actus sequens semper agit in virtute omniũ præ-*

præcedentium, vt patet in guttis cauantibus lapidem, quod non quælibet aufert aliquid de lapide, sed omnes præcedentes disponunt, & vna vltima agens in virtute omnium præcedentium (in quantum scilicet inuenit materiam dispositam per præcedentes) complet cauationem: et hoc autem ideò contingit, quia homo est dominus sui actus; vnde potest agere secundum totam virtutem naturæ suæ, vel secundum partem, quod non contingit in illis, quæ agunt ex necessitate naturæ; semper enim agunt ex totà virtute suà: quando ergo ita est, quod homo non habens charitatem, ex totà virtute bonitatis naturalis sibi inditã mouetur ad charitatem, tunc vnus actus disponit eum vltimà dispositione, vt charitas ei detur, quando verò non secundum totam virtutem, sed secundum aliquid eius præparatur ad charitatem, tunc actus non est, sicut dispositio vltima, sed remota, & per plures actus poterit

rerit peruenire ad dispositionem vltimam. In quibus verbis non nulla veniunt notanda: primò quod Angelicus vult ad recipiendam charitatem, hominem debere operari, secundum totam virtutem bonitatis naturalis sibi inditę (nomine autem *naturalis*, vt dictum est n. 60. intelligit, quæ habentur ante infusionem gratiæ sanctificantis) adeò vt actus vltimo disponens ad charitatem debeat in se habere totum id, quod requiritur ad obtinendam charitatem; ad hanc autem requiruntur plures actus virtuosi; quare vt actus charitatis, & contritionis, ante actuale Sacramentum, inferat gratiam, & charitatem; debet in se saltem eminenter prę-continere perfectionem illorum omnium actuum: secundò: si primus actus non præcontineat, sed addātur alij, qui simul cum primo præcontineat, tunc ad positionem vltimi, ante actuale Sacramentum

da-

dabitur gratia in virute omnium præcedentium: tertiò doctrinam traditam, quod subsequentes agere debeant in virtute præcedentium, esse generalem, & generaliter intelligendam, siue charitas habeatur per Sacramenta, siue ante Sacramenta, ita quod susceptio Sacramenti, aliorumque actuum ad charitatem disponentium debeat esse in virtute primæ intentionis obtinendi charitatem; quare susceptio Sacramenti debet procedere ex prædictà intentione, alioqui non disponeret in virtute illius.

CXCV. Vt autem appareat benignitas Christi Domini in institutione Sacramenti pænitentię, & quantum per illud nobis viam facilitauerit ad iustificationem, & salutem æternam, sciendum est, quod aliquid non habens de se virtutem ad aliquem effectum, potest nihilominus in illum effectũ, si vniatur alteri tanquam instru-

mentum operans in virtute illius. Ita S. Thomas 1. p. q. 85. a. 1. ad 3. phantasmata *non possunt sua virtute imprimere in intellectum possibilem; sed virtute intellectus agentis* (cui in homine coniungitur phantasia tanquam instrumentũ) *resultat quædam similitudo in intellectu possibili, ex conuersione intellectus agentis suprà phantasma, quæ est representatiua eorum, quorum sunt phantasmata*. Requiritur quidem de se in instrumento proportio aliqua, seù dispositio, ad hoc vt possit in effectum causę principalis cui coniungitur; si tamen non habeat omnimodam proportionem, seu aptitudinem, ex hoc, quod coniungitur principali, per motum a principali acceptum, vt operetur tanquam illius instrumẽtum, in eo relucet efficacia principalis, quod habet effectum producere, etiamsi non omninò proportionatum sit instrumentum; id contingit in Sacramentis mor-

mortuorum, sed precipuè in Sacramento pœnitentiæ, in quo contritio actus pænitentis a Christo Domino eleuatur vt instrumentum ad producendam iustificationem; proportionem autem habet ex hoc, quod de se nata sit esse aliqualis dispositio ad iustificationem; per hoc tamen, quod a Christo assumitur, vt instrumentum, non requiritur, quod sit omninò proportionata, sicuti requiritur in eo, qui iustificatur per contritionem non eleuatam, sed in eo relucet efficax benignitas Christi Domini sibi coniungentis contritionem vt instrumentum ad iustificandum, quod iustificationis effectum producat, etiamsi contritio non sit omninò proportionata, hoc est, etiamsi ea non sit, quæ a se habet omninò inducere formam iustificantem. Hoc est singulare beneficium, quo caruerunt homines ante Euangelium, & carent, qui vti non possunt

Sacramentis. Aliquis prę suà humilitate cōfitens sua peccata. Laico, aliaque exercens opera pænitentiæ, quę exercet confitens Sacerdoti, potest tamen adhuc nō obtinere remissionem peccatorum, quia illa simul coniuncta non pertingunt ad id, vt sint vltima dispositio pro obtinendà charitate: suscipiens Sacramentum habet aliquando dispositionem minorem; & tamen recipit gratiam, quia illa contritio, seù detestatio peccatorum, quanquam in genere causæ materialis non habeat inducere gratiam, tamen vt sacramentalis, virtute Christi, cui vt instrumentum in tali casu coniungitur, habet ex opere operato posse attingere effectum, efficienter, quem dispositiuè non attingeret. Adeò etiam Christi virtus in illà operatur, vt licet actu non sit talis contritio, quando homo non est suę mentis compos, dummodò præcesserit, assu-

ſumatur hæc contritio, quæ tranſijt, non omninò, ſed tamen aliqualiter proportionata, & attingat, etiam quando non eſt, effectum iuſtificationis; quare baptizantur amentes adulti, quando in eis præceſſit actuale deſiderium baptiſmi; quod ſupponimus non fuiſſe tale, vt ex vi illius ſtatim iuſtificentur, & hoc deſiderium præcedens aſſumitur tunc ad producendam formam iuſtificationis abſque vltimà diſpoſitione ad formam; vltima enim diſpoſitio eſt illa cooperatio, ſeu conſenſus gratiæ, qui in homine illius capaci producitur ſimul cum gratià, proceditque ab ipsà gratià in genere cauſæ efficientis; nihilominus, ità efficaciter operatur virtus Chriſti in tali præcedẽte deſiderio, quod aſſumitur tanquam inſtrumentũ iuſtificationis vt etiamſi ſubiectum non ſit capax vltimæ diſpoſitionis, producat ſolam formam, cuius eſt ca-

pax,& quam nullo modo, neque, vt dispositio posset attingere, nisi eleuaretur, vt instrumentum Christi per illud desiderium operantis.

CXCVI Hic igitur est modus, quo iustificamur, & per Sacramenta, & sine Sacramentis. Timor seruilis absque vllo amore Dei propter se dilecti ex S. Thoma 2. 2. quæst. 19. artic. 7. est, *sicut principium extrà disponens*, propterea de se solus insufficiens ad iustificandum. amor concupiscentiæ, quo quis amat sibi Deum, si est amor bonus, importat etiam aliquid charitatis imperfectæ, & amoris Dei propter se dilecti, quia concupiscit sibi Deum, secundum quod promittitur in Scripturà, nempè, vt sibi subijcientē homines, vt finem vltimum; a quo vnicè potest homo habere suum bonum. Istud verò desiderium, quod est actus charitatis, præcedit spem, & per

con-

consequens præcedit actualem susceptionem Sacramenti; ad quam quidem susceptionem non præexigitur amor perfectus Dei, cum ex virtute Christi operante in Sacramentis, etiam amor imperfectus, qui non posset dispositiuè attingere iustificationem, illam habeat attingere efficienter, vt instrumentum Christi. Benè tamen requiritur, quod susceptio Sacramenti procedat in virtute illius prioris desiderij; nam actus externus confessionis debet procedere in virtute actus interni; & nisi procedat in virtute desiderij, assignanda est intentio, in cuius virtute procedat: nec tamen semper est necesse, quod explicitè tendat in Deum; sufficit vt implicitè procedat; sufficit vt homo intendat, & desideret habere charitatem; actus enim iste, cum sit charitatis, vt ostensum est, hoc ipso tendit in obiectum charitatis, nempè, in

Deum; & hoc mòdo procedunt ad Sacramenta homines idiotæ. Verè enim intendunt iustificari, seù saltem accipere Sacramẽtum, secundum quod datur in Ecclesià, & per hoc dicuntur sufficienter in tendere totum Sacramentum, etiam rem Sacramenti, nempè gratiam. Nec id totum videtur posse negari. Quod si volentes hominem in Sacramentis iustificari sine vllo amore Dei propter se dilecti, dicant a se exigi spem veniȩ supponentis desiderium, iam apparet importare eos aliquem imperfectum amorem Dei propter se dilecti; vnde cum illà prȩsuppositione desiderij, eorum dictum excludens omnem amorem Dei non potest subsistere: quare locum hic habere possunt verba Augustini 5. de Ciuit. Dei c. 1. *Sensum tene, & linguam corrige.* Tene sensum, quod ad iustificationem non requiratur amor Dei perfectus: in Sacramentis, tamen lin-

linguam corrige, dum dicis nec aliqualem amorem Dei propter se dilecti esse necessarium; etenim desiderium, & intentio iustificationis, vtpotè actus charitatis, licet præcedentes habitum charitatis, verè sunt amor Dei, quanquam non completus, nec perfectus; quare sensum tene; quod in Sacramentis non requiratur hic amor perfectus; & vbi excludis etiam aliqualem Dei dilectionem, volens intellgi a te tantùm excludi perfectam dilectionem, linguam corrige, & vt corde amas Deum, ita & ore profitere. Qui non amat Dominum Iesum Christum, anathema sit.

CXCVII. *Quod autem amatur* inquit S. Thomas in qq. disputatis q. de charitate a. 2. c. *desideratur, dum nondum habetur, & delectationem infert, quando habetur, & tristitiam ingerunt ea, quæ ab habendo amatum impediunt.* In Deum igitur, vt est obiectum

eter-

[redacted]

æternę beatitudinis, & charitatis, seù quod idem est, in Deum vt summè diligibilem, tendunt tres actus: primus est dilectionis, quietis, & gaudij; & hic supponit Deum in animà, & habitum charitatis: alius est, quo idē Deus, quando nondum habetur, desideratur, & hic est ex illis actibus, quos suprà S. Thomas dixit esse charitatis, nondum tamen habentis charitatem, quia qualitates secundariæ alicuius formę possunt esse in subiecto etiam sine formà: sic octauus gradus caloris non potest esse sine formà ignis, quia est vltima dispositio: cæteri priores gradus sunt ignis, sed non semper supponunt, quod habens illos habeat simul formam ignis: tertius actus est tristitia, seù dolor, de ijs, quæ impediunt animam ab habendo in se Deum amatum, qui propriè spectat ad pænitentiam, & supponit desiderium, & intentionem habendi

Deum: nec enim dolere possum de peccatis, vt sunt impedimenta consequendi Deũ, nisi desiderem, & intendam habere Deum: quare in virtute huius intẽtionis mouetur anima ad hanc tristitiam, & pœnitentiam. Sunt omnes hi actus a Deo, sed primus a Deo iã inhabitante; alij a Deo inhabitaturo animam nostram, si perficiantur: quod insinuatur illis verbis Prou. 4. *Iustorum semita, quasi lux splendens, procedit, & crescit, vsque ad perfectam diem.* Alij autem legunt, *quasi lux solis*, alij *quasi lux auroræ*, quomodocumq; autem legatur, potest intelligi de iusto in primo suæ conuersionis initio; quare sicut lux solis ita procedit, & crescit in nostro emispherio, vt illuminetur primò quidem radijs, qui quidem sunt radij solis, at nondum inhabitantis nostrum emisphærium, & tune est aurora, quæ secundò crescit vsque ad perfectam diem,

dum

dum sol illud inhabitat, ita iustorum semita est in aurorà, cum radijs amoris diuini, & solis æterni illuminatur quidem, sed radijs nondùm inabitantis spiritus Sancti, sed tamen proximè disponentibus, vt inhabitet, & eo proximius, quò magis instat nostra iustificatio, quà completà iam sol diuinus est in emispherio nostri cordis, crescitque magis ac magis In dies per intēsiores actus amoris; vt proptereà sint eiusdē Dei summè diligibilis actus precedentes iustificationem, ad eamque disponentes, non tamen sunt Dei vt inhabitantis, quo vsque permanet aurora, sed solum quādo iam iustificati habemus Spiritus Sanctum in nobis inhabitantem. Hæc autem similitudo ex scripturæ verbis desumpta magis roboratur authoritate Angelici Præceptoris in qq. disputatis q. de charitate a 2. vbi ait: *Amare bonum alicuius ciuitatis, contingit du-*

dupliciter: vno modo vt habeatur: alio modo vt conseruetur: Premiserat nos per charitatem fieri aliquo modo ciues, & socios illius beatę societatis, quę dicitur cœlestis Ierusalem iuxtà illud Eph. 2. *estis ciues sanctorum, & domestici Dei*. Firmaueratque propterea ad debitam operationem virtutũ necessariarum tali ciui pręexigi amorem boni communis toti societati, quod est bonum diuinum prout beatitudinis obiectum, qui amor est proprius charitatis. Distinguit porrò hunc amorem in amorem. quo amatur bonum istius societatis, vt habeatur, & amorem, quo amatur, vt conseruetur. *Amare bonum alicuius ciuitatis* addit, *vt habeatur, non facit bonum politicum*, seu nondum reddit ciuem. *Sed amare bonum ciuitatis, vt conseruetur, & defendatur, hoc est verè amare Ciuitatem, quod bonum politicum facit* prout politica ex eodem 2.2.

q. 50.

q. 50. a. 2. dirigit subditos in obediendo principantibus. *Sic igitur amare bonum, quod a Beatis participatur, vt habeatur, vel possideatur, non facit hominem benè se habentem ad beatitudinem*, quia nondum est in gratià, & sic amor iste pręcedit iustificationem. *Sed amare illud bonum secundum se, vt permaneat, & difundatur, & vt nihil contrà illud bonum agatur, hoc facit hominem benè se habentem ad illam societatem beatorum. Et hæc est charitas, quæ Deum propter se diligit.*

CXCVIII. Insurgere potest aliqua difficultas, eò quod ibidem Angelicus amorem hunc Dei, vt habeatur, vocet amorem concupiscentiæ: cæterum debet semper ante oculos versari doctrina eiusdem suprà tradita, quod amor concupiscentiæ est actus secundarius charitatis; propterea subordinatus charitatis obiecto, vt amet quidem bonum propri-

ūm, ſed ita quod Deus ſemper ſit finis vltimus. Ad maiorem autem huius dicti claritatem cō-cludo totam diſſertationem eiuſdem Angelici verbis ex op. 61. c, 3. Præmiſerat, quod homo concupiſcens delectabile creatum, refert illud in ſe ipſum, & addit. *In propoſito* ſcilicet de amore, quo concupiſcitur Deus *oppoſita eſt relatio: nam Dei bonitatem non referimus ad noſtram delectationem, ſcilicet creatam beatitudinem, vel qualitatem, ſed potius è contrà. Notà ergo, quod ſex ſenſus habet hæc propoſitio: Iſte diligit Deum propter Deum: primò diligit Deum propter Deum, ſuppone, habendum, vt habere Deum, vel frui Deo ſit finis, in quo quieſcitur: vt iſte vadit ad tabernam, propter vinum, ſcilicet bibendum, bibitio, & delectatio plus placet illi, quam vinum, & ſic diligere eſt malum, & peccatum: quia Creator refertur ad creaturam: Secundò diligit Deum propter*

ter Deum, scilicet habendum, vt habitus Dei, vel fruitio creata sit finis, non in quo quiescit, sed quo quiescitur: beatitudo enim creata potest appeti, vt finis, quo quiescamus, quia ipsà habità, nihil creatum amplius appetimus, sed non debet poni finis, in quo quiescamus non enim quiescimus in ipsà, sed per ipsam in Deo. Tertiò diligo Deum propter Deum; vt propter notet causam efficientem, siue motiuam, & vt sit sensus, Deus siue dulcedo Dei est causa mouens istum ad diligendũ Deum: sic ille diligit Deum propter beneficia, quæ confert ei: iste motus est magis amicitiæ, quam concupiscentiæ . . . quartò vt per propter notetur causa finalis, & est sensus, diligo Deum propter Deum sicut visu mel propter dulce: quintò diligo Deum propter Deum; illud est propter præceptum Dei, & honorẽ ipsius: sextò diligo Deum propter Deum, idest non propter aliud, vt notatur exclusio finis vlterioris, &

omnis

omnis commodi mei: ergo est gratissimè amare: primum ergo malum, tria sequentia bona: duo vltima optima. Quare qui intendit se iustificare, habet prius in intentione actum, quo intendit, seù concupiscit habere Deum, quę quidem intentio saltem virtualiter debet influere in omnes actus electionis, quibus eligimus media ad habendum in nobis Deum, nempè, quibus eligimus detestari Peccata prętcrita, proponere vitam nouam, confiteri Sacramentaliter, &c.. Hæc autem intentio, quà concupiscimus habere in nobis Deum, vt non sit mala, & damnata ab Angelico, non debet referre Deum ad nostram beatitudinem, ita vt Deus sit medium, & nostra beatitudo finis, at è contrà beatitudo ordinata est in Deum tanquam in finem, in quo quiescimus; & solum beatitudo poterit esse finis, quo quiescimus in Deo, possumusque

musque expetere beatitudinem vt mercedem, seù finem nostri amoris; nunquam tamen possumus ponere beatitudinem vt finem nostri Dei amari. Hic igitur actus concupiscens habere Deum respicit Deum, vt summè diligibilem, quia vt finem vltimum; & haberi potest ab eo, qui per charitatem nondum est ciuis sanctorum, cui per Sacramenta adscriptus, iam amabit bonum diuinum, vt conseruetur.

CIC Accipe tandem ex eodem op. c. 17. quę coronidem imponant toti huic dissertationi. *Sicut formam naturalem introducendam antecedit positio nuda: dispositio, & necessitas: quorum primum, & vltimum intelligitur simplex, & quasi punctuale; medium autem habens latitudinem.. sic est liberum animæ arbitrium accipere, vt nudum, vt dispositum; quæ dispositio est per conuuersionem ad Deum.. Quando autem facit totum, quod*

quod poteſt, & quod in ſe eſt, tunc eſt neceſſitas ad habendam gratiam, non neceſsitas coactionis Deo debitum imponens, ſed neceſsitas immutabilitatis: imò nec vltimã diſpoſitionem, & neceſſariam, liberaliſsimus Dator expectat, ſed aliquo modo conuertenti ſe, & diſponenti, & ſi non ſecundum totum, quod in ſe eſt, multoties dat. Adultis attritis diſsimiliter diſpoſitis, non in ſubſtantia naturalium, ſed in conuerſione ad Deum per ipſorum actum, & vſum ſine meritis, infunditur gratia diſsimilis, ſcilicet, maior, vel minor, quod oſtendit diſsimilitudo contritionis. Requiritur igitur ad iuſtificationẽ in Sacramentis non contritio charitate perfecta, ſed ſufficit attritio, quæ tamen attritio conuertat hominẽ ad Deum tãquam finem vltimum, & ſummè diligibilẽ, vt ſit fructuoſa gratiæ; eleuantque ſacramenta virtute meritorum Chriſti, amorẽ hunc imperfectum Dei vt ſummè dili-

diligibilis, ad hoc, quod sit vltima dispositio ad iustificationem, ad quam impetrandam, nullatenus de se sufficeret hic amor imperfectus Dei, vt summè diligibilis, & vt finis vltimi, nisi coniungeretur illi effectus passionis Christi: propterea ex opere operato Sacramenta iustificãt. Vnde autem hic amor Dei vt finis vltimi, & summè diligibilis, habeat, quod sit imperfectus, & insufficiens de se ad iustificandum extrà Sacramentum, an id habeat ex eo, quod tanta, & non minor intensio requiratur in amore de se iustificante; vel alio ex capite, non est meum hic discutere. Diuisi sunt in hac parte Scholastici antiquiores. Non quis sit amor iste imperfectus, sed an sit amor iste imperfectus necessarius ad iustificationem per Sacramenta fuit Dissertationis huiusce.

FINIS.

